MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80547-8

AUTHOR:

LEOPOLD, HENRICUS MARTINUS REGNERUS

TITLE:

EXULUM TR IAS, SIVE DE CICERONIS, OVIDIO ...

PLACE:

GOUDAE

DATE:

1904

Master Negative #

92-80547-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Leopold, Henricus Martinus Regnerus.

Exulum trias, sive de Cicerone, Ovidio, Seneca exulibus ... Goudae, Koch et Knuttel, 1904.

vii, 264 p. 25cm.

Proefschrift—Utrecht.

Library of Congress 7-26281

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/5/92 INITIALS TM
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

EXULUM TRIAS.

H. M. R. LEOPOLD.

EXULUM TRIAS

SIVE

DE CICERONE, OVIDIO, SENECA EXULIBUS.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

C. H. H. SPRONCK

MED. DOCT. ET IN FAC. MED. PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM
ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

HENRICUS MARTINUS REGNERUS LEOPOLD

ZAANDIJKIANUS.

DIE VENERIS XXIX M. IANUARII A. MCMIV HORA IV P.M.

GOUDAE
Apud KOCH ET KNUTTEL
MCMIV

PARENTIBUS.

CONTINENTUR:

ERRATUM.

p. 40 ann. 2: pro cap. ultimo lege cap. paenultimo.

PROOEMIUM.

Propositum mihi est trium hominum novorum, Ciceronis, Ovidii, Senecae initia exponere qui, postquam ingenii facultatibus quae temporibus suis maxime accommodatae erant, summum quod sibi putaverant fastigium vel attingere vel iam attigisse sibi visi sunt, non minus suam ob culpam quam potentiorum iniquitate detrusi solum verterunt; deinde ea componere, quae ab iis in rebus suis afflictis dicta et facta sunt.

Iam inde a principio curriculi vitae maxima inter eos similitudo est. Cicero Arpini puer erat, cum C. Marius, municeps eius, ultima quae pro libera republica unus dux per complures annos continuos gessit bella externa ac periculosa, Iugurthinum et Cimbricum, firma manu confecit. Tunc temporis urbs sola vexabatur iis malis, ea corruptione, quam secum ducit orbis terrarum dominatio; Graecia capta unam Romam victricem cepit necdum mores suos „intulit agresti Latio."

Marci nostri familia ex vetere stirpe orta ultra avum nota non est, sed de eo nepos non ita pauca nobis tradit, quibus discimus eum alterum fuisse Catonem Censorium, priscae Latinitatis exemplum, eius Latinitatis, quae robur

fuit legionum, quibus totum orbem terrarum dicionis suae Roma fecit. Dicere solebat Romanos „similis esse Syrorum venalium: ut quisque optime Graece sciret, ita esse nequissimum" (Cic. de or. II 265) et omnibus rebus novis adversabatur, ut legi tabellariae, cui restitit quoad vixit (de leg. III 36). Pro certo igitur affirmare possumus, eum velis remisque contendisse ut impediret, ne secundum novam consuetudinem nepotes Graeculis imbuerentur litteris. Sed saeculum vicit: Cicero pater Marcum et Quintum filios familiaribus Romae habitantibus in disciplinam tradidit, quo ipse quoque postea migravit. Omnem impendit operam ut filii ad eum locum pervenirent, quo ipsum valetudo infirma arcuerat. Et fortasse [1]) satis diu vixit, ut maiorem filium praetorem, aedilem minorem videret. Matri Helviae Quintus filius testi onium dat sollertiae et parsimoniae,

1) Duo contraria ad nos pervenerunt testimonia. In Ciceronis epistula ad Atticum (I 6.2) a. 68 data haec sunt: „pater nobis decessit a. d. IIII. Kal. Dec."; Asconius autem in commentario ad orationem in toga candida a. 64 scribit: „solus Cicero ex competitoribus equestri erat loco natus, atque in petitione patrem amisit." Alter horum locorum corruptus esse debet. Asconio favent Madvig, Drumann (Gesch. Roms etc. V p. 213 ann. 54), Boot in editione priore epistularum ad Atticum, Aly (Cicero, sein Leben und seine Schriften Berlin, 1891 p. 6 et 45), Cucheval (Cicéron Orateur Paris, 1901 I p. 12). Ciceronis locum sanum putant Tyrrell (The correspondence of Cicero I^2, 1885 p. 130—131), Boot in ed. alt., O. E. Schmidt (Briefe Ciceros Leipzig, 1901 Heft I Erklärungen p. 4—5).

narrans se meminisse matrem lagonas etiam inanis obsignare, „ne dicerentur inanes aliquae fuisse, quae furtim essent exsiccatae" (ad fam. XVI 26.2). Alias forsitan a matre acceperit Marcus virtutes, eius parsimoniae heres omnino non fuit [1]).

Talis origo erat equitis Arpinatis, urbi ex proximo vires additurі. —

Quinquaginta annis post Roma ex longinquioribus iam regionibus praestantissimum quemque ad se trahit: Agrippam ignota familia, incerta patria natum [2]), sed „rusticitati propiorem quam deliciis (Plin. N.H. XXXV 4.26), Maecenatem, ex Etrusca Cilniorum gente [3]), artium fautorem luxuriae deditum sed tamen in re publica gerenda Augusto socium utilissimum. Porro Asisium in urbem mittit Propertium (Prop. V 1.125), Andes Vergilium, Apuli Horatium Venusinum, Peligni Sulmonensem Ovidium — alterum hominem novum de quo paucis nobis disserendum est.

Gens [4]) vetus et equestris [5]) erat et Sulmone nobilis,

1) Vid. Boissier Cicéron et ses amis p. 91.

2) Cf. Motte Étude sur Marcus Agrippa Gand—Paris, 1872 p. 175—182.

3) Fieri potest, ut pater eius fuerit C. Maecenas ille, quem nominat Cicero pro Cluentio 153 (Symbolae Literariae V, Amstelod. 1843 p. 8).

4) De iis quae sequuntur cf. Boissier L'opposition sous les Césars p. 108—122.

5) Ov. Tr. IV 10.7 : usque a proavis vetus ordinis heres. Am. I 3.7 sq. (nostri sanguinis auctor eques) III 8.9 sq. 15 sqq.

sed pater filios Romae secundos quam in patrio oppido primos esse maluit. Itaque iam mature Publius cum fratre maiore Romam missi sunt, ut quam amplissimum gradum dignitatis obtinerent. Cum reipublicae liberae temporibus plurimum profecissent iuvenes eloquentiae studiosi, in oratoria arte operam consumere oportebat eos, quibus in animo erat honores appetere. Secundae enim in re militari fortunae occasio non amplius dabatur, postquam „deus" mundo „otia fecit" (Verg. Ecl. I 6) et insuper P. Ovidio debile corpus erat [1]). Sed non magis oratoris „artes severae" (Tr. I 9.57), „fortia verbosi arma fori" (Tr. IV 10.18) quam „aspera militiae certamina" (Tr. IV 1.71) oblectabant adulescentem, licet usitatis rhetoricarum scholarum exercitationibus non infeliciter operam dederit, ut certissimus testis affirmat: „cum studeret habebatur bonus declamator"; „declamabat autem Naso raro controversias et non nisi ethicas; libentius dicebat suasorias" ita tamen ut „oratio eius iam tum nihil aliud posset videri quam solutum carmen" (Seneca rh. contr. II 2 : 9, 12, 8), quod ipse quoque de se paene puero adhuc profitetur:

> **Scribere temptabam verba soluta modis.**
> **Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,**
> **Et quod temptabam scribere, versus erat (Tr. IV 10.24—26).**

Ingenio palam indulgere ei non licuit; quominus

Tr. II 110; P. IV 8.17 sq (quos locos citat Masson Vita Ovidii ap. Burmann IV p. 34), Tr. IV 2.16

1) vid. infra cap. de patria.

„furtim" (ib. vs. 20) versus faceret, impedire nemo poterat.

Haec fuit Ovidii adulescentia, cum libera respublica vix animam ducebat, species adhuc et inanis libertatis imago. —

Seneca natus esse videtur circa initium nostrae aerae Cordubae in urbe Hispaniae patre Annaeo Seneca, clarissimo rhetore, qui, quamquam bellorum civilium furor eum intra coloniam continuerat [1]), iam adulescens Romam venit studiorum causa [2]). Vita eius — cum viris in litterarum republica summis amicitia et familiaritate iunctus erat [3]) — et scripta testantur iam homines ex provinciis venire, quibus cur ipsis Romuli nepotibus inferiores cederent causa esset nulla; mox filius ipse cum Lucano, Martiale, Traiano, Hadriano monstrabunt tempus adventare, quo non amplius Latini Italique, sed cum Graecis [4]) ceteri provinciales Romam, id est terrarum orbem, regant. Italia enim tota latifundiis et villis peregrinationi divitum inserviebat [5]), cum post bella

---

1) Sen. rh. contr. I praef. 11 p. 50 Bursian 61 Kiessling.

2) Ibid. 22 p. 55 B 66 K.

3) Ibid. contr. I praef. 13, 22 (amicus Latronis) contr. III praef. 1, VII 3 8 (familiaris Cassii Severi) suas. 3 9 (Gallionis) 3.6 (Messallae) etc.

4) Cf. e. g. Iuven. III 61 : graecam urbem; Sen. ad Helv. m. 6.2. Graeci erant Pallas, Polybius, Narcissus alii. Cf. Bernhardy Gr. Litt. I[4] 578 (562), 582 (566).

5) O. E. Schmidt Ciceros Villen (ex Neue Jahrb. f. Phil. II [1898] p. 3 et 5) Varro R.R. I. 10, Horat. C. II 15.

Plin. N. H. XVI 7: latifundia Italiam perdidere, iam vero

civilia [1]) migratio in Urbem — cuius migrationis exempla nonnulla modo attulimus — agros devastasset [2]).

Annaeus pater, licet ipse sive natura sive consulto moribus esset antiquis ac „veteris Romani vigoris" (Sen. ad H.m. 17.3) et, ut Ciceronis avus, omnia Graeca detestaretur [3]), in filios haud tamen ita severus fuisse videtur [4]), neque enim eos prohibuit „foro et honoribus" se parare (contr. II praef. 4 p. 116 B 152 K).

Lucii mater Helvia „antiqua et severa domo bene instituta" (ad H.m. 16.3), quae patri iam quinquagesimum

---

et provincias." Atticus villam et praedia habet Buthroti in Epiro, Sext. Pompeius in Sicilia, in Macedonia agros possidet (Ov. ex P. IV 15.15), Ovidius Ilvae in villa amici nuntium tristem accipit (P II 3.84), Seneca praedia habet in Aegypto (ep. 77.3 Viereck Hermes 30.121; Gercke Seneca-Stud. p. 302); sub Nerone provinciae Africae dimidiam partem sex domini possidebant (Plin. 11). Cf. Martial. V 13.7 sq. etc.

1) In solo Marsico bello CCC milia hominum perierunt (Vell. II 15.4; Eutropius contra tradit [V 9. 2] bello sociali et civili CL consumpta esse hominum milia, cf. Flor. III 18.5), H. Nissen Histor. Zeitschr 44 (1880) p. 416, Seeck, Kaiser Augustus Leipzig 1902 p. 140.

2) Nissen l.l. p. 413: Mit Saturnshunger verzehrte Rom seine Kinder, unablässig drängte junger Nachwuchs an die leer gewordene Stelle.

3) A. Diepenbrock L. Annaei Senecae vita Amstelod. 1888 p. 5. (Sen. ad H. m. 17.4, ep. 78.2 cf. ep. 108.22.)

4) Diepenbrock l.l. (contr. X 33.23 p. 325 B 501 K; contr. I praef. 6 p. 48 B 59 K).

annum agenti [1]) nupsit, fuit, si filio fides habenda est, rarae iis temporibus pudicitiae, quae non solum municipali simplicitate ab aequalibus discreparet, sed etiam liberales disciplinas attigisset fere omnes, philosophiam autem largius hausisset atque intentius quam pro femina, ni Annaeus, ut erat Romani moris tenacior ac philosophiae pro rhetore contemptor, moderatus esset impetui eius [2]). Matris institutio in educando Lucio plurimum fortasse valuit, qua amore philosophiae eum imbutum fuisse probabile est.

Quae si vera sunt, quivis profecto Diepenbrockio (p. 3) assentietur: „Utrumque ambitione et cupididate honoris atque processus, ingenii vi, animi impetu superabat longe filius. Utrique bonitate animi et candore, morum denique integritate ac mentis constantia longe cedebat". —

Breviter exposui, quae nos et solum natalicium et stemma Ciceronis, Ovidii, Senecae admonent si ea cum progressione vel potius dissolutione imperii Romani conferimus, scilicet eos omnes externas vires attulisse, ut Romae scopum attingerent, quo animum intenderant. Verumtamen hoc agentes non tantum dabant commoda, sed etiam accipiebant et foedus cum Roma factum non sine acri dolore ruptum est. Nam Cicero urbe carere non potest [3]), etsi summo amore dilexisse videtur

---

1) Diepenbrock p. 3—4.

2) Diepenbrock p. 8, Sen. ad H. m c. 14—16.

3) Boissier Cic. e. s. a. p. 13 sq. Tyrrell I² Introduction p 40 sq. W. Lucas Collins Cicero (Edinb. — Lond. 1901) p. 44—46. Infra cap. de patria.

Arpinum suum [1]), Ovidius exul sescenties urbem — semel bisve [2]) rura sua desiderat, Seneca in consolatione ad Helviam matrem [3]) Corsicam omnium terrarum maxime terribilem depingit, Romam damnando commendat [4]).

Iam videamus, quibus modis conati sint votorum compotes fieri et quousque progressi sint. Iam nunc dicam Ciceronem solum ex triade nostra per breve tempus, quo tendebat, cacumen [5]) tenuisse, eo scilicet anno, quo consul rempublicam conservavit. Ovidius, cui „poetis aulicis" Horatio et Vergilio succedere summa voluntas erat [6]), cum metae ipsi iam appropinquaret, vi deiectus est. Seneca, qui secundum locum praestantia sua inferiorem putabat [7]), propositum nondum assecutus Iovi Liberatori sanguinem libavit. —

Cicero, C. Marii popularis, quocum et ipse saepius

1) Cucheval I p. 9; 14—16. Infra cap. de patria.

2) P. I 8.38 sqq. cf. Tr. I 11.37 (ubi vide Owen).

3) Infra cap. de patria.

4) Ib. c. 9.2.

5) A puero adamaverat illud: *αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων* (ad Q. fr. III 5.4 cf. ad f. XIII 15.2 Aly Cicero p. 8—9.)

6) Cf. Boissier L'opposition p. 128 sq., Owen Tristia I² (Oxford 1890) p. LIII et infra.

7) Tac. XV 60, Dio 62.24, Latour St. Ybars Néron (Paris 1867) p. 443, 457 sq, Schiller Nero (Berlin 1872) p. 695—702, Diepenbrock p. 194—196, Gercke Seneca-Studien (Fleckeis. Jahrb. 22. Suppl. Bd. [1896]) p 268, 319.

se comparat et ab aliis comparatur [1]), puer fortasse sibi eius gloriam bellicam somniavit, sed mox breve tirocinium [2]) eum docuit meliora nec deinde rei militari studuit et iam diu ante eam aetatem, qua Marius cursum honorum inceperat (a. 119 tricesimum agens annum tribunus plebis factus est) alteram viam, quae quidem homini novo patebat, ingressus est. Nam „duae sunt artes, quae possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis: una imperatoris, altera oratoris boni" (pro Mur. 30). Deinde Cicero suum in Marium amorem significat carmine in eius honorem composito et frequenti Marii nominis mentione [3]), quibus imprimis se ipse commendare studet. Cum igitur Marco constaret quomodo ingenii sui dotibus uteretur, quas plena manu Fortunam ei largitam esse iam in pueritia apparuerat (Plut. Cic. 2), tanta statim industria in studia incubuit, ut consuetis adulescentiae voluptatibus omnino abstineret, eas ne desideraret quidem [4]), „noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versaretur, ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset" (Cic. Brut. 308 sq.) [5]).

1) E.g. Iuven. VIII 237, 245.

2) In bello Marsico (Philipp. XII 27) *τινὰ χρόνον* (Plutarch. 3). cf. Liv. periocha CXI: „vir nihil minus quam ad bella natus", Aly p. 12, Cucheval I p. 42.

3) Cucheval I p. 30 sqq. Cic. de leg. I 1. etc; laudes eius e.g. pro Balbo 46 sqq.

4) „Me nihil istorum ne iuvenem quidem movit umquam" ad f. IX 26.2 cf. pro Caelio 46 Boissier p. 94 Aly p. 8.

5) Cf. de Orat. I 154 Cucheval I p. 25—26, 40—41, 47—48,

Quamquam iurisprudentiam parvi faciebat (pro Mur. passim, imprimis § 28 [1])), ei tamen operam dedit apud optimos Romae iurisconsultos, Mucios Scaevolas — Augurem et Pontificem Maximum — filium et nepotem eius Mucii Scaevolae, qui inter eos fuit „qui fundaverunt ius civile" (Dig. I 2.39). Et sane primae orationes Ciceronis causas tractant ad ius civile pertinentes. Ex his superest oratio pro Quinctio, quae tamen non ante a. 81 habita est, cum Cicero vicesimum sextum iam ageret annum — qua aetate alii per complures iam annos in foro versari solebant [2]). Huius morae causa fuit incertissimus reipublicae status, quae continuis bellis civilibus concutiebatur [3]). Propter strepitum armorum leges silebant neque ulla iam iudicia erant nisi lege Varia de maiestate, qua (a. 90) sanctum erat, ut quaestio haberetur de iis, quorum opera consiliove

Haec tenax perseverantia moris tunc fuisse videtur: vide de Hortensio Brut. 302, de Augusto et, quod magis mirum, de Antonio Sueton. de rhet. 1 (p. 268. 30 Roth). Iure tamen Aly p. 11: Vergleicht man das Mass seiner Kenntnisse vollends mit dem, was heutzutage von einem Jüngling ohne Schaden für seine Gesundheit erfordert wird, so war es verhältnismässig wenig

1) Cucheval I p. 274—276. Vide tamen pro Caec. 70 sqq. Cucheval I p. 176.

2) Hortensius e.g. undevicesimo aetatis anno gravissimum suscepit iudicium: Brut. 229, de orat. III 229 cf. Quintil. XII 6, Suet. Caes. 4, Cic. pro Flacco 2, Tyrrell I² Introduction p. 3, Aly p. 15.

3) De iis quae sequuntur cf. Cucheval I p. 35—50, Cic. Brut. 303 sqq., de orat. I 3.

socii contra populum Romanum arma sumpsissent. Tunc primum videmus populum potentem „in sua victrici conversum viscera dextra" (Lucan. I 3) neque mirum Ciceronem arbitratum esse „in perpetuum esse sublatam rationem iudiciorum" et hanc ob causam attentius commoratum esse in studio philosophiae (Brut. 306). Phaedrum Epicureum (ad f. XIII 1. 2 sq.) et Philonem Academicum (Brut. l.l.) studiose audiebat; Xenophontem et Platonem Latine vertit (de off. II 87). Perturbatam disciplinam tamen non prorsus neglexit, huius enim fere temporis sunt libri de Inventione, quos sibi adulescentulo inchoatos et rudes ex commentariolis excidisse dicit (de orat. I 5). Praeterea uberrimos fructus cepit ex convictu Scaevolae, „qui, quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat" (Brut. 306 cf. Phil. VIII 31). Tandem postquam Sulla rediit, recuperata est respublica; leges et iudicia denuo sunt constituta et licet eius dominatio, ad statum optimatium accommodata, homini novo non admodum fausta esset, Cicero tamen causas agere coepit, etsi ingenio iam satis culto (cf. Brut. 311) caute utebatur, specie consuetum oratoris exemplum [1]) declinans ita, ut postea iactare posset se neminem laesisse (divin. in Caec. 1). Acriter intuenti autem apparet discrepantiam fere nullam esse inter defensionem, qualis est Rosciana, et accusationem potentissimi viri, Sullae gratiosissimi.—

1) Cf. annot. 2 in pag. 10.

Cum iam Ciceronem eo usque comitati sumus, ubi ingenium eius in vulgus innotescere coepit, ad Ovidii et Senecae fata revertamur, quorum enarratio non nostra culpa sed inopia testimoniorum multo erit lacunosior.

Ovidius, quem demonstravimus magis delectari fonte Pegaseo quam fontibus iuris antiqui, cycni pinnis magis quam legionarii clavatis caligis, lascivis temporibus, quae conversiones reipublicae sequi solent [1]), erat aptissimus, et ubi in vitae suae descriptione (Tr. IV 10. 33—36) atque in epistula apologetica ad Augustum (Tr. II 93 sqq.) merita sua in publica commoda amplificare vult, exiguus eventus est. Minoribus tantummodo magistratibus functus est [2]), neque iniuria ei obiciebantur „ignavi anni" (Am. I 15.1). Poesi autem, deliciis suis, totum se dedit, simulac toga virilis plus libertatis ei concessit [3]), quin

1) Janin Étude sur Ovide (praefixum editioni Lemaistre Paris, 1858) p. X (Moneo ne quis hoc libello utatur, antequam censuram inspexerit Ehwaldii in Bursian. Jahresb. 43. [1885] II p. 143—146), Boissier L'opposition etc. p. 109 sq. Ovid. A. A. III 121 sq.:

Prisca iuvent alios: ego me nunc denique natum
Gratulor. haec aetas moribus apta meis.

Fasti I 225: Laudamus veteres, sed nostris utimur annis. Tr. III 2.9: fugax rerum securaque in otia natus; IV 8.7: semper placuerunt otia menti; cf. infra.

2) Fuit tresvir capitalis (Tr. IV 10.34) decemvir stlitibus diiudicandis (F. IV 384) centumvir (Tr. II 93, P. III 5.24) Owen I p. XIII.

3) Tr. IV 10.30: et studium nobis, quod fuit ante, manet. Masson p. 43.

et Athenas studiorum poeticorum causa petiit [1]). Patrem iam non amplius votis filii adversatum esse probabiliter explicat Church (p. 7): „The elder brother died immediately after completing his twentieth year [2]), and this event removed the objection which the father had made to the indulgence of Ovid's poetical tastes. The family property, which was not of more than moderate extent, would not have to be divided, and there was no longer any necessity why the only son should follow a lucrative profession [3])."

Et Ovidium igitur constituimus in limine templi Favoris, cuius penetrale ut Cicero intrabit ex iis ingenii facultatibus, quas etiamnunc admiramur. Ovidius poeta natus est; Cicero hoc consilio imprimis magistratus sibi optat auctoritatem, ut eloquentia totius populi mentes capiat; Senecae autem animus alio spectat. Numquam cogitavit sapientis solam gloriam quaerendam esse, hanc immortalitatem sibi esse daturam. Optime pater filii perspexit indolem, cum ei „ambitiosum curae esse" diceret, non ut fratri Melae „animum a civilibus officiis abhorrentem et ab omni ambitu aversum hoc unum concu-

1) Tr. I 2.77: petii studiosus Athenas. Postea Siciliam et Asiam: ib. vs. 78, P. II 10.21, F. VI 417—424. Masson p. 45, Church Ovid. Edinb.-London 1897, p. 7.

2) Tr. IV 10.31 sq.

3) De re familiari Ovidii cf. Owen I p. XII. Cum tota argumentatione cf. Tr. IV 10.21 sq:

Saepe pater dixit: „studium quid inutile temptas?
Maeonides nullas ipse reliquit opes."

piscentem, nihil concupiscere" (contr. II praef. 3—4, p. 115—116 B, 151—152 K); quod discrimen inter fratres ipse Lucius confirmat: „alter honores industria consecutus est, alter sapienter contempsit" (ad H.m. 18.2). In scriptis philosophicis innumeris locis asseverat se conari eandem rerum humanarum despicientiam adipisci, sed vita obloquitur [1]). Statim adiciam minime me ob hanc causam Senecam mendacii et fraudis accusare velle. Quis est cui idem non acciderit? Nam si, ut Drumann in Ciceronis vita fecit, semper et ubique hominis enuntiata ubi contraria sunt, inter se opponis, nulla habita ratione, sintne coram omnibus, sive in orationibus sive in scriptis philosophicis, edita an uni amico, iniuste agis et accusatorem, non rerum scriptorem te geris. Persuasum mihi est Senecam, cum ad summam in re publica potestatem pervenisset, quam sibi pinxerat imaginem vere sapientis omnibus intentis viribus appetiisse; saepius ei obiectas divitias [2]) et nimiam erga Neronem indulgen-

1) Quod senex saepius confitetur e.g. ep. 61.1. „desinamus, quod voluimus velle ... imponere veteribus malis finem"; 8.3: „Rectum iter, quod sero cognovi et lassus errando, aliis monstro. Clamo: vitate quaecumque volgo placent, quae casus attribuit"; 29.12: „ceterum, si te videro celebrem secundis vocibus volgi .... quidni ego tui miserear, cum sciam, quae via ad istum favorem ferat?"

Plura ap. Heikel Seneca's Character und politische Thätigkeit aus seinen Schriften beleuchtet (Acta Societatis Scientiarum Fennicae Tom. XVI). 1886. p. 22.

2) Vid. Mayor ad Iuven. X 16: Seneca praedives.

tiam [1]) numeranda esse inter illos „accommodements avec le ciel", quibus carere nemo aulicus possit [2]); coniurationem contra, cuius iam senex (Tac. A. XV 63) particeps fuit, ei probatam fuisse Stoica tyrannicidii laudatione [3]), in rhetorum scholis mille declamationibus repetita [4]).

Adulescens Seneca mala valetudine laborans [5]) ea re ita dolebat, ut saepe abrumpendae vitae consilium iniret; sed retentus est patris senis amore, philosophiae studio, amicorum adhortationibus (ep. 78. 1—4). Non tantam igitur Stoicorum placitis fidem habuit, quantam Marcel-

1) Vid. e.g. Schiller Nero p. 70.

2) Ita iam Lipsius Manuductio ad Stoicam philosophiam l. I diss. XVIII (Lipsii opera omnia Vesaliae 1675 IV p. 678 sq.) et in edit. p. XIX. Ipse Seneca talia defendit (Fragm. 19 Haase): „Facit sapiens etiam quae non probabit, ut etiam ad maiora transitum inveniat, nec relinquet bonos mores sed tempori aptabit, et quibus alii utuntur in gloriam aut voluptatem, utetur agendae rei causa." Cf. Heikel p. 11 sq. et Gelzer in Die Zukunft 6 April 1901 (Cf. Wetensch. Bladen 1901, IX p. 450 sqq.)

3) Cf. Diepenbrock p. 195, Gercke p. 318 sq., Dio 62, 24.1.

4) Cf. Iuven. VII 151 (perimit saevos classis numerosa tyrannos), X 112, Tac. dial. 35, Petron. sat. 1—3, Diepenbrock p. 23. Schiller Nero p. 562 alios multos.

Declamationibus etiam annumerandae sunt tragoediae, quales scripserunt Curiatius Maternus et Seneca. Cf. Boissier Oppos. p. 82—88, Nisard Études sur les poètes de la décadence romaine Paris[5] (1888) I 83 sqq. 137.

5) Tac. A. XV 63; Index Haasii s.v. Seneca, Diepenbrock p. 26—27, Gercke p. 305.

linus ille, qui „morbo et non insanabili correptus, sed longo et molesto et multa imperante, coepit deliberare de morte" et Stoici cuiusdam verbis admonitus inedia exitum „non sine quadam voluptate" sibi conscivit [1]).

Secundum solitum institutionis ordinem Lucius primum grammaticorum disciplinis incubuit, quarum nugarum mox eum pertaesum est [2]), deinde rhetorum, qui dicendi generi eius multum nocuerunt [3]). Hac in re valde ei profuisse verisimile est praecepta patris, quocum clarissimos audiebat oratores. Attamen posterioribus Tiberii annis, cum Cremutius Cordus crimine laesae maiestatis damnatus est, quod Brutum et Cassium laudasset (Tac. A. IV 34), non ea erant tempora, quibus quis libertate dicendi proficeret itaque Seneca consilium forensi munere causas tractandi, quod iam perficere inceperat, deposuit [4]). Novus autem tunc ingruerat morbus saeculi, philosophiae insania [5]), quam Seneca quoque, ut in omnia magno inceptu venit (ep. 108.15), utraque manu tam ardenter arripuit, ut Sotionis discipulus — qui

---

1) ep. 77. 5—10, Martha Les moralistes sous l'empire romain Paris [6] (1894) p. 5—6.

2) Index Haasii s.v. grammatici, Diepenbrock p. 22, Gercke p. 305.

3) Diepenbrock p. 22—34, Gercke p. 133—158.

4) ep. 49.2: „modo causas agere coepi, modo desii velle agere". Quae sequuntur: „modo desii posse" ad exilium fortasse pertinent (Martens de L. Annaei Senecae vita etc. Altona 1871 p 6. Diepenbrock p. 33.). Aut ad crudelem dominationem Seiani ?(vid. infra).

5) Cf. Diepenbrock p. 24.

ipse Pythagorae et Sextii obtemperabat praeceptis — per integrum annum carne se abstinuerit, donec pater edictum Tiberii [1]) in Iudaeos causatus austeritati finem imposuit „nec difficulter" filio persuasit ut omitteret hanc consuetudinem — ut Heikel (p. 5) et Diepenbrock recte observant, in Seneca primum documentum morum facilitatis. Sed pater fine, quem optaverat, excidit: invisae [2]) philosophiae filius fidem servabat et Attali, primi Romae Stoici [3]), discipulus factus est, ad quem eum ipse pater cum fratre Novato duxit, quod facundiam admiraretur eius [4]). Licet plerumque philosophi ad rempublicam non accederent [5]), nondum tamen imperabant a vita publica abstinentiam et Seneca facta copia libenter utitur, numquam autem datam occasionem praetermittit paupertatis laudem canendi [6]) et ostentandi paradoxa qualia sunt „sapiens solus dives, solus rex, solus iustus etc" [7]).

---

1) Sen. ep. 108.22 Diepenbrock p. 28 Nipperdey ad Tac. A. II 85.

2) Sen. l.l., ad. H. m. 17.4 Gercke p. 305.

3) Nam Sextius hoc nomen aspernabatur Sen. ep. 64.2 Diepenbrock p. 25.

4) Sen. rh. suas. 2.12 (p. 14 B, p. 17—18 K) Diepenbrock p. 28.

5) Vid. Diepenbrock p. 30 (Zeno, Cleanthes, Chrysippus) p. 24 (Sextius) p. 30 (Fabianus Papirius).

6) Vid. Haasii indicem s.v. pauper et paupertas, Diepenbrock p. 30—31.

7) Vid. Horat. ep. I 1. 106, sat. I 3. 125 et quos ibi conferunt interpretes.

Et in conquirenda doctrina Seneca saeculo tributum solvit [1]); tenebat enim multos „insanabile scribendi cacoethes" non tam propter studia strenua Ciceronis Varronis Nigidii Figuli aliorum, quam quod Stoici — Romani saltem — doctrinam umbraticam plurimi faciebant. Sextius vir multum celebratus rebus naturalibus studuerat (Plin. N. H. XXXII 3.13: diligentissimus medicinae), Fabianus Papirius scripserat: „causarum naturalium libros", „de animalibus" et de plantis (vid. Teuffel). Pari varietate Seneca „tractavit omnem fere studiorum materiam" (Quintil. X 1.128); citantur: „de motu terrarum", „de lapidum natura", „de piscium natura," „de situ Indiae," „de situ et sacris Aegyptiorum", „de forma mundi" (Haase vol. III p. 419—421). Libellum de motu terrarum ipse affirmat se edidisse iuvenem (N. Q. VI 4.2), quae de situ Indiae et de Aegypto composuit haud inepte tribuuntur tempori, quod insequitur iter in Aegyptum, Lipsii [2]) sagacitate erutum ex loco consolationis ad Helviam matrem (19.4), ubi Seneca narrat se spectatorem fuisse naufragii, quo maritus materterae — qui fuit Vetrasius Polio, ut Lipsius demonstravit — perierit. Ergo revertit a. 32 p. Chr. n., quo anno Polio mortuus est [3]).

1) Speciem potius quam rem quaeri — etsi contraria affirmat ad H. m. 8. 6; 20. 1—2 — Seneca demonstrat scribendo Naturales Quaestiones, quas parum accurate intra paucorum mensium spatium confecit, et in quibus gravissimum ei est „das Raisonnement" (Gercke p. 314, cf. Pichon Hist. de la litt. lat. Paris[2] 1898 p. 487).

2) Vid. Lipsii editionem Antverp. 1652 p. XVI et p. 89 annot. 232.

3) Lipsius l.l. Dio 58, 19.6 Diepenbrock p. 36.

Post reditum demum quaesturam Seneca petere decrevit, quam dignitatem materterae ambitu iuvante adeptus est [1]). Cursus igitur honorum ut Ciceroni, ita Senecae interruptus est, nam anno iam circiter 25 p. Chr. n. [2]) munere quodam — ex minoribus procul dubio magistratibus — eum fungi scribit pater [3]). Causa ignota est. Diepenbrock (p. 34—35) conicit eum valetudine mala permotum esse ut consilium honores petendi et causas agendi („causas agere velle desii" ep. 49.2) abiceret. Equidem non video cur credamus paucis post annis Senecam convaluisse, qui Caligulae irae propter hoc unum ereptus est, quod phthisici brevi morituri speciem habebat [4]). Mihi Seiani potius crudelis dominatio „subactis iam cervicibus omnium et ad iugum adactis" (cons. ad Marc. 1.3) in causa fuisse videtur. Attamen haec parum argumentis stabilire possumus; in dubio igitur relinquamus cum Lipsio (p. XV) utrum posterioribus Tiberii annis an prioribus Caligulae [5]) Seneca quaestor

1) ad Helv. m. 19.2, Diepenbrock p. 36—37. Quo anno plane ignoro, nam argumentum quo Diepenbrock utitur, ut demonstret fuisse ante a. 37 — gratiam viduae Polionis non nisi apud Tiberium valuisse — parum firmum mihi videtur; nam senem homines perosum, qui Capreis in morosa solitudine viveret, aditus facilioris fuisse quam Caligulam equidem non crediderim.

2) Diepenbrock p. 33.

3) Sen. rh. contr. II 4 (p. 116 B, 152 K): „navigantibus", Diepenbrock p. 34.

4) Dio 59, 19.7—8 (a. 39).

5) Lipsius p. 89 annot. 227, Martens p. 8.

factus sit. Si coniectura mea de metu Seiani placet, simile quid ei accidisse videmus atque Ciceroni, quem bellorum civilium furore foro prohibitum audivimus. Quanta videtur fuisse temporum dissimilitudo nobis ex longinquo res maximas tantum discernentibus! At quanta revera utriusque privatae vitae similitudo fuit!

Ad hoc usque tempus Senecae vita fabulae dilucide satis actae potest conferri, iam vero densum aulaeum tollitur, evenit, quod in vita cotidiana fere non attendimus, in fabula scenica probamus, in historia conquerimur: anni aliquot praeterierunt cum actores denuo in pulpita prodeunt. Secundus autem actus — nobis vero ultimus — Annaeani dramatis erit exilium. Pauca quae nobis nota sunt de intervallo, quod inter quaesturam et exilium intercedit, hoc loco subiungam.

Ante a. 37 [1]) uxorem ducit, ex qua duos tollit filios [2]).

Post patris mortem huius vitam conscribit et scripta edere in animo habet [3]).

Gratis publice recitat et iuventuti valde placet [4]).

In senatu orationes habet, e quibus una Gaio Caesari tantam movet invidiam, ut ultimum de eo sumere

---

1) Diepenbrock p. 43.

2) ad H. m. 2.5; 18. 4—7.

3) fr. 98 Haase. Numquam ea in lucem edita esse, demonstrare temptavit A. Klotz in Rhein. Mus. 56 (1901) p. 429—442.

4) Tac. A. XIII 42, Quintil. X 1.126, Sueton. Cal. 53, Diepenbrock p. 44—45.

velit supplicium, quod avertit amicae dexteritas [1]). (Ad has in senatu orationes — et ad recitationes quoque equidem arbitror — censuram pertinere Caligulae: „Senecam commissiones meras componere et harenam esse sine calce" [Suet Cal. 53] Lipsius [2]) recte statuit).

Porro consolationem scribit ad Marciam, A. Cremutii Cordi filiam, sive „initio Claudiani temporis" [3]) sive, quod probabilius est, ultimo Caligulae anno [4]), qua primum ingreditur iter „philosophiae moralis practicae" [5]), et libros duos de ira [6]), quibus libris nihil discimus de causa exilii, nam libertatem dicendi scriptori nocuisse sub eo praesertim principe, qui legem maiestatis aboleverit [7]), non facile crediderim [8]). —

Restat ut narrem, quae nobis tradita sunt de causa exilii Senecae.

---

1) Dio 59, 19. 7—8, Diepenbrock p. 45—46.

2) Ed. Antverp. 1652 p. VI.

3) Lipsius p. 105 (qui tamen et post exilium scriptam esse posse dicit), Lehmann Claudius u. seine Zeit Gotha 1858 p. 153 sqq.; Martens autem (p. 32) et, quamvis dubitanter, Heikel (p. 10), postquam Seneca Paulinam duxit.

4) Diepenbrock p. 52—53, Gercke p. 284.

5) Martha les moralistes p. 4 (ad Marc. 4.2) p. 15 etc.

6) Lipsius p. 1, Martens p. 27, Diepenbrock p. 55, Gercke p. 285. Lehmann contra p. 315 sqq., cui assentiuntur Schiller Nero p. 70 et Heikel p. 8 sq., ab educatore Neronis scriptos putat.

7) Dio 60, 3.6 Lehmann p. 136.

8) Vid. Lehmann p. 154 sq. et Martens p. 6—7.

Iam ab initio principatus Claudius summa imperii munera libertis mandans odium sibi pepererat apud multos, apud eos imprimis, qui aulae praecedenti proximi fuerant. Horum studia in filias Germanici, qui populo in deliciis semper fuerat, Agrippinam et Iuliam Livillam conversa sunt, quae ipsae quoque praesertim ob Messalinae odium res novas moliri non abnuebant. Agrippina qua erat prudentia subdolis artibus et indignationem celans favorem populi sibi conciliare conata est. Livilla contra illecebris corporis et nimia familiaritate apud principem Messalinae gratiam subvertere studuit et ipsam illam fastu et arrogantia exacerbavit. Itaque ei immissi sunt delatores, qui cum alia tum adulteria obiectarent. Designatus est autem tamquam Livillae adulter L. Annaeus Seneca [1]). Nec temere, ut opinor, nam ipse culpam suam paene confessus est in consolatione ad Polybium (13.3): „viderit (Claudius) qualem volet esse et aestimet causam meam: vel iustitia eius bonam perspiciat vel clementia faciat bonam: utrumque in aequo mihi eius beneficium erit, sive innocentem me scierit esse, sive voluerit [2])“, et ubi contra crimina Suillii (cf.

1) Dio 60, 8.5 Diepenbrock p. 56—58 Schol. ad Iuven. 5. 109: „Hic sub Claudio, quasi conscius adulteriorum Iuliae Germanici filiae, in Corsicam relegatus.“

Forsitan delator quidam divitiis et gratiae Senecae inviderit (Heikel p. 5, 6, 7, qui citat ad H. m. 5.4; ad Polyb. 9.5). Cf. ap. Dionem l.l. verba: ἐγκλήματα παρασκευάσασα: criminibus instructis.

2) Heikel p. 7: Die Alternative sind wieder sehr bezeichnend für Seneca, wie er sich den Verhältnissen leicht anbequemen konnte.

Tac. A. XIII 42 sq.) se defendit: de vita beata c. 4—16, imprimis c. 12.2: „at contra sapientium remissae voluptates et modestae ac paene languidae sunt compressaeque et vix notabiles, ut quae neque arcessitae veniant nec, quamvis per se accesserint, in honore sint neque ullo gaudio percipientium exceptae, miscent enim illas et interponunt vitae ut ludum iocumque inter seria“ [1]).

Senecae utpote senatoris in senatu causa acta est et nimirum capitis damnatur, at Claudius „grande ingenium exstinguere gravatus ni fallor“ (Diepenbrock) vitam ei petiit (ad Polyb. 13. 2; Heikel p. 7). Tunc exilium decernitur et quidem deportatio, nam bona adempta esse videntur [2]).—

Ne nimis parva frustula evaderent, Senecae casus uno tenore recensuimus usque ad id tempus, quo quae fecit atque locutus est cum Ciceronis et Ovidii factis dictisque

Praecedit tamen: „Des Verbrechens erklärt er sich unschuldig“ et p. 8 H. dicit: „Auf beanspruchte Unschuld sind wohl die Aeusserungen ad H. m. XIII 4, 6, 8 zu deuten.“ Ego puto talia nihil demonstrare et loco ex de vita beata citato maiorem fidem habendam esse.

1) Gercke p. 304: Wer will mag aus dem „neque arcessitae,“ schliessen, dass Seneca „der Verführte war“ (sic Teuffel) und mag diese Annahme als mildernden Umstand geltend machen: für die Beurtheilung des Mannes verschlägt es nicht viel.

2) Cf. infra in cap. de re familiari. De statu exulum vid. Owen Tristia I² p. 99, Humbert in Daremberg et Saglio Dictionnaire des Antiquités etc. s.v. exilium et quos citant.

fusius comparabimus. Ante tamen quam ad Ciceronem et Ovidium revertimur, maxima indicanda est inter fata eorum discrepantia. Seneca omnem potentiam, honorem, gloriam acquisivit post reditum (sin minus, non exilium satis mite, sed mortem pertulisset), Naso felicitate, qua paene supra humanum modum usus erat [1]), iniquitate Augusti in perpetuum privatus est, Cicero quod in consulatu assecutus erat auctoritatis fastigium, posthac numquam attingere potuit; vitae denique postremo anno iterum rector esse civitatis sibi visus est. (Toto caelo erravit, nam nihil umquam nisi milites et pecuniam potentiam dare Caesar vere contenderat [2])).—

Exposuimus Ciceronem labori forensi se dedisse cum Sulla rempublicam restituisset. Orationem primam quae superest, orationem pro Quinctio dico, primam quoque esse quam Cicero scripto mandaverit, ex eo quod de prioribus et Cicero et alii silent, efficere licet. Ceteras causas, in Quinctianae initio (§ 4) memoratas, non tanti habuit, ut publici iuris eas faceret. Quod Quinctianam

1) Cf. Boissier L'opposition p. 108 sqq. Poeta ipse idem fere dicit:

Hic (in Scythia sc.) quoque cognosco natalis stamina nostri
Stamina de nigro vellere facta mihi....
Cum vice mutata qui sim fuerimque, recordor,
Et, tulerit quo me casus et unde, subit.
(Tr. IV 1.63 sq., 99 sq.).

cf. annot. 1 p. 12 et Tr. IV 8. 31—36; V 3.9 sq.

2) Dio 42, 49.4.

immortalitate dignam existimavit, suspicionem movere potest ex hac causa eum superiorem discessisse et de Hortensio, illo tempore „rege iudiciorum" (Verr. Act. I 33 sqq.) [1]), victoriam reportasse.

Maioris autem momenti est defensio Roscii Amerini, paucis mensibus post suscepta, quae, ut supra iam diximus, accusatio potius appellanda est Chrysogoni, potentissimi Sullae liberti. Audacia, temeritas quae paene videbatur, novi patroni magnam haud dubie admirationem movit neque parvam gratiam collatam in eum esse imprimis a partibus popularium credibile est, quae tum ferme comminutae erant. Primo aspectu nos quoque species decipit; sed accuratius contemplanti temeritas illa mirum quantum decrescit. Roscium in periculo amici non deseruerunt, advocati ei adsunt „homines nobilissimi, Metelli, Servilii, Scipiones" (§ 15, 77), Romam profugum domo recepit Caecilia, dictatoris cognata (§ 27, 147) [2]) et in fine orationis (§ 143 sqq.) Cicero Chrysogonum rogat oratque, ut rei vitae soli parcat, bona secum

1) Quae Cucheval I p. 52 scripsit se in Gellio suo de iudicii exitu legisse (cependant, s'il faut s'en rapporter à un texte d'Aulu-Gelle [XV 28], ce fut Cicéron qui en sortit vainqueur), non capio; equidem ibi tale quid non invenio et Drumann V. 234 scribit: Der Spruch des Gerichtes ist nicht bekannt.

2) Cf. Drumann V 235 ann. 65 et 244 ann. 32, Mommsen R. G. III[6] p. 6: „seine (Ciceronis) halb vorsichtige halb dreiste Opposition", Cucheval I p. 60. Ceterum Aly (p. 21 cf. p. 187) haec omnia vocat „haltlose Vermutung".

habeat, id est, Roscius in accusatoris scelere acquiescit et liberto avidissimo omnia, quae cupiverat, permittit. Accedit ut novi iudices senatorii, tunc primum in quaestione de sicariis ius dicentes, putandi sint non sibi iam ab initio infamiam contrahere voluisse [1]; „aber auch nur scheinbar wagen, brachte ihm unermessliches Gewinn, es erregte Aufsehen, die Herausforderung des Herrschers in Chrysogonus gab jedem seiner Worte zum Voraus das Gepräge der Meisterschaft" (Drumann V 244). Et postea in causa mulieris cuiusdam Arretinae Cicero edicto Sullae adversatus est [2]. Non igitur ob metum — quod contendit Plutarchus [3] — peregre profectus est, sed propter adversam valetudinem, quam causam Plutarchus fictam appellat, et praeterea studiorum gratia [4].

Graeciam et Asiam totam peragrans in summam gloriam venit et cum maximis et oratoribus fuit et philosophis; quos omnes eum secum habuisse iure miratur Cucheval (p. 68): „On ne peut s'empêcher d'être frappé d'étonnement, en lisant les lignes que Cicéron consacre à son séjour en Grèce et en Orient; on se demande quel était donc le prestige du nom romain, le retentissement de plaidoyers même de médiocre importance comme ceux que Cicéron avait

1) Drumann V 243.
2) Drumann V 245 sq., Cucheval I p. 66 sq.
3) Plut. Cic. 3 [Aurel. Vict.] de viris illustr. 81: „veritus invidiam."
4) Cic. Brut. 314 [Aurel. Vict.] l.l.: „studiorum gratia."

plaidés, pour que ce jeune avocat, modeste chevalier romain sans grande fortune, pût réunir autour de lui tant de graves personnages et se promener en Asie avec une sorte de cortège, composé des maitres les plus distingués." Haec et quae dicit Havet apud Boissier Cic. e. s. a. (p. 50): „L'éloquence ne peut plus espérer de diriger les événements; mais elle agit sur eux d'une façon indirecte, elle essaye de faire naître ces grands mouvements d'opinion qui les préparent ou les achèvent: 'elle ne provoque pas des votes et des actes, elle sollicite des émotions'. Si cet effet moral est le seul but qu'elle se propose à ce moment, celle de Cicéron, par son abondance et sa pompe, par son éclat et son pathétique, était faite pour l'atteindre," menti nostrae semper infixa esse oportebit, si postea interdum propensi erimus ad Mommsenio astipulandum contendenti (III[6] p. 182) Ciceronis „ingenium non nisi ianuas apertas effregisse" et vanitas viri nobis taedium movebit. De studiis eius philosophicis recte, ni fallor, Drumann iudicat (V 248 ann. 71): „Er beschloss keineswegs wie Plut. 4 hinzufügt, in Athen der Philosophie zu leben, wenn er in Rom nicht zu Aemtern gelangte, sondern die Philosophie sollte mittelbar durch eine reiche Ausstattung des Sachwalters zu Aemtern verhelfen" [1]. Si litteris

1) Cum Drumanno facit — mirabile dictu — Aly p. 22: „Indessen betrachtete ja Cicero die Philosophie immer nur als

tantum vivere voluisset — quod numquam voluit — Attici exemplum sequi debuisset, qui mira calliditate [1]) viam sibi ad libertatem munivit, quam ei gratulatur Cicero, cum ipse sentit servili se premi sorte (ad Att. IV 6.1). Eandem ob causam atque Ciceronem Senecam philosophiae maximam impendere operam videmus atque eo ardentius, quo plus tunc omnes, praecipue nobiles, huic doctrinae favebant.

Smyrnae Cicero virum visit quem exul sibi exemplum ponere potuisset: Publium illum Rutilium Rufum, cui inde ab anno 92 exulanti adeo vita solitaria et umbratilis voluptati erat, ut, cum Sulla ei veniam redeundi ultro obtulisset, in patriam remeare recusaret [2]).

Maximum tamen lucrum quod ex itinere fecit, disciplina fuit qua utebatur egregiorum oratorum, nam ad

---

Mittel zum Zweck, als Vorübung für seine Lieblungswissenschaft oder richtiger Lieblungskunst, die Beredsamkeit."

1) Vid Boissier Cic. p. 130 sqq. De eo, quod Attico obiciebatur: suam ipsius solam utilitatem eum spectare, bene disseruit Lucas Collins Cicero, p. 10: „His vocation was certainly not patriotism; but the worldly wisdom which kept well with men of all political colours, and eschewed the wretched intrigues and bloody feuds of Rome, stands out in no unfavourable contrast with the conduct of many of her soi-disant patriots. If he declined to take a side himself, men of all parties resorted to him in their adversity.... this man was surely as good a citizen as the noisiest clamourer for ‚liberty' in the Forum, or the readiest hand with the dagger."

2) Vide quos citat Drumann V 250 ann. 84 et 85.

eloquentiae principatum omnia sua studia intenderat [1]). Eundem etiam scopum spectat ubi cum Roscio comoedo et Aesopo tragoedo per longum tempus familiarissime vivit; ab his enim decorum et actionem discere studet [2]).

Biennio postquam peregre profectus erat, Romam se recepit „non modo exercitatior, sed prope mutatus, nam et contentio nimia vocis resederat et quasi deferverat oratio lateribusque vires et corpori mediocris habitus accesserat" (Brutus 316).

Mox in matrimonium triginta duraturum annos uxorem ducit Terentiam, nobili loco natam, cuius soror Fabia virgo Vestalis capta est et quae ipsa in re satis lauta fuisse videtur [3]).

Anno insequenti cursum honorum a quaestura incipit (deinceps omnibus magistratibus suo anno fungitur) et Lilybaetani officii omnes partes enixe implet. Nobiles autem, ex quorum familiis magis magisque numero deminutis [4]) magistratus semper ferme sumebantur, ingenium integritatem talia in homine novo nihil curabant, cuius virtus et industria in odio potius et invidia erat (Cic. Verr. V 181). Cicero ipse quoque intellegebat nihil se ab optimatibus impetraturum esse nisi ad-

---

1) Baiter-Kayser Ciceronis opera I Lips. 1860 Praef. p. XII Boissier Cicéron e. s. a. p. 46. Cucheval I p. 205.

2) Vide Cucheval I p. 69—72.

3) Vide Drumann VI 685 Boissier Cic. e. s. a. p. 95 sq. Cucheval I p. 77.

4) Cf. Mommsen. Die röm. Patriciergeschlechter, in Röm. Forschungen I p. 122.

versarium se praestaret formidolosum metuendumque, quem sibi conciliare magnopere nobilitatis interesset. Itaque popularibus se applicat, quibus tunc temporis in certamine contra nobiles equites erant socii, quorum commodis iudicia senatoria, quae provinciarum rectores quamvis sontes semper absolverent, valde nocebant. Sane par pari referebant cum ante rempublicam a Sulla conversam proconsules et propraetores, qui contra publicanorum iniurias provincialibus opem tulerant, de repetundis fere damnarentur; populus autem cito praeterita mala obliviscitur; ita ut Ciceroni facile crederet „cum equester ordo iudicaret annos prope quinquaginta continuos, in nullo iudice ne tenuissimam quidem suspicionem acceptae pecuniae ob rem iudicandam constitutam esse" (Verr. Act. I 38). Foederi „miserorum" cum „beatis" (ad Att. I 14.1) cum Cicerone se adiunxit Pompeius a Fortuna maturius ad magna vocatus. Temporibus Sullanis privato sumptu exercitum sibi comparaverat, statim post mortem dictatoris cum optimatibus Lepido restiterat et praemium meritorum Sertorianam provinciam acceperat (Mommsen R. G. III[6] p. 28), iam — lex enim merum equitem vetabat maiores petere magistratus — imperium belli Mithridatici extorquebat (ib. p. 98 sqq.).

Ex foedere isto, cui nobilitas impar erat (ib. p. 101), unusquisque sociorum sua spolia reportavit: Pompeius imperium, equites iudicia, populares tribunatum restitutum.

In optimatium cladem Cicero quoque suam operam

studiumque contulit Verrina accusatione, sed nisi maior necessitas affuisset, Verres — ut antea Cn. Dolabella et C. Antonius a Caesare accusati — liber dimissus fuisset [1]). Non minore tamen industria orator negotium suscepit atque etiam vanitati suae vim attulit splendore perpetuae orationis dimisso, ut intra annum causam ad finem perducere posset (Verr. I 20,29).

At non solum quia ipse auctoritate creverit, Cicero in ultimis Verrinarum capitibus de adversariis triumphat — etiam consilium suum reipublicae gerundae bene promotum sentit. Ratio enim haec similis fere erat imagini, quam Polybius (l. VI) depinxit, civitatis Romanae temporibus Scipionum. Polybius optimum putabat consortium trium elementorum: magistratuum — quales tunc erant viri in omni genere administrationis peritissimi —, senatus, equitum. Cicero hactenus ea mutavit, ut magistratus et senatores coniungeret, secundo loco poneret equestrem ordinem, plebeio ordini, id est, populari factioni, quae Polybii temporibus nondum exstabat [2]), tertium destinaret locum. Hic primo scopus cogitationum fuit, postea vero, cum perspexit rempublicam sine Pompei praesidio stare non posse, in libris de re publica, a. 54 scriptis, Aristotelicam quandam constitutionem sibi finxit: „placet

---

1) Cic. Verr. V 176: „De omnibus nobis, si qui tantulum de recta regione deflexerit, non illa tacita existimatio, quam antea contemnere solebatis, sed vehemens ac liberum populi Romani iudicium consequetur." cf. Mommsen p. 96—97.

2) Nissen Histor. Zeitsch. 44 (1880) p. 415.

enim esse quiddam in re publica praestans et regale, esse aliud auctoritati principum impartitum et tributum, esse quasdam res servatas iudicio voluntatique multitudinis [1])."

Verumenimvero a. 70 aequabilitas in republica sub dominatione optimatium minime erat et equites cum popularibus sine alieno subsidio — velut Pompei militari auctoritate — longe erant inferiores. Laetitiae ergo Ciceroni fuit his restituta tribunorum potestate, illis alia iudicum descriptione potestatem auctam esse. Sic ad meliorem rerum statum iri somniabat et ex longinquo cernere sibi visus est tempus quo futurum esset, ut ex faece Romuli prisci Quirites, ex Pompeio Scipio, ex se Laelius exsisteret [2]), quo senatores strenui essent et integri neque iam exspectantes dum sibi dormientibus omnia populi Romani beneficia deferrentur [3]). Persuasum igitur ei fuit damnationem Verris non gratam tantum populo sed etiam utilissimam fore.

Vana spe tenebatur, amnes retro ad fontes non labuntur. Modus unicus, quo rei publicae novus sanguis infundi potuisset, antiquae civitatis indoli ita repugnabat, ut ne cuiquam quidem eius in mentem venerit. Agricolis Italicis si absentibus suffragia ferre licuisset, ab his sine dubio libertas fulta fuisset [4]).

1) de rep. I 69 Boissier Cic. e. s. a. p. 34 sqq. O. E. Schmidt Briefe Ciceros I (1901) p. 1, 2, 29, 30 alii multi.

2) ad fam. V 7.3 (a. 62).

3) Verr. V 180.

4) Cf. ad Att. II 13.2 (a. 59): „ipsi agri regnum vestrum ferre

Insequentibus annis Ciceronem crebro a ratione sua ac via discedentem videmus; numquam tamen obliviscendum est id ipsum de republica gerenda sibi constare, eo tempore, quo suam quisque solam utilitatem spectaret, — aperte Piso consul professus est: „sibi quemque consulere oportere" (in Pis. 12) — non minimam esse laudem. Si quis reprehendere vellet, quod praetor Pompeianus fuit et popularis, consul senatus propugnator, utrobique fortiori parti addictus, ipse procul dubio respondisset, quae postea simili vituperationi opposuit: „numquam in praestantibus in republica gubernanda viris laudatam esse perpetuam in una sententia permansionem; temporibus assentiendum esse; bonos tunc fuisse in republica principes" [1]) et talia multa, quae licet inania praetexta quis vocarit, meliora dare non potuit, qui confiteri nollet togam cessisse armis. Et saepius in iis, quae primo aspectu levitatis speciem praebent — ut lex Manilia Pompei gratia defensa, impugnatio legis Serviliae, qua optimates fovit — cum eius sententias de republica consideramus, reperimus eum operam dedisse ut inter partes exstaret quoddam aequilibrium neque esse cur Dionis [2]) severo assenti-

non possunt" cf. II 21.1, ad Q. fr. I 2.16, pro Sest. 25 et 32, in Pison. 41, O. E. Schmidt Ciceros Villen (Neue Jahrb. f.d. Klass. Altert. II [1899]) p. 28. Ciceronis reditus celebratus est „incredibili concursu Italiae" (ad Att. IV 1.4); cf Mommsen III^6 p. 312, Tyrrell I^2 p. 20.

1) ad fam. I 9 § 11 sq. et § 21.

2) Dio 36, 4.35 (a. 66). Quomodo autem Tyrrell I^2 p. 5 sqq. demonstrare posse sibi videatur, Ciceronem semper optimatium

amur iudicio, sui commodi gratia eum partes mutasse. In orationibus pro Fonteio, pro Sulla, in aliis [1]), quae vitio ei vertuntur, causam amici vel clientis, non reipublicae, dixit, quod ipse in Cluentiana (§ 139) profitetur: „Errat vehementer, si quis in orationibus nostris, quas in iudiciis habuimus, auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. Omnes enim illae orationes causarum ac temporum sunt, non hominum ipsorum aut patronorum. Nam, si causae ipsae pro se loqui possent, nemo adhiberet oratorem. Nunc adhibemur, ut ea dicamus, non quae nostra auctoritate constituantur, sed quae ex re ipsa causaque ducantur."

Haec sufficiant de reipublicae capessendae consiliis. —

Quod sequitur tempus praeturae et consulatus fuse tractare supersedeo; quibus prospere ei cessit, haec praesertim fuerunt: eloquentia, quae favorem popularem et amicos ei conciliavit, „familiaritas" Pompei — quam sibi praetor amplissimis laudibus emit [2]) —, status periculosus reipublicae, quo omnes assidui contra res novas, quas parabat Catilina, a Caesare et Crasso tecte su-

---

partes fovisse, non intellego, nam mihi quidem nonnulla plane contraria significare videntur, e. g. quae sunt in fine Verrinarum et in Sextiana c. 45 sqq., quae dicit de proscriptorum liberis pro Roscio Amerino c. 53 et in oratione, quam consul habuit (Quintil. XI 1.85 Drumann V 438).

1) Vid. imprimis Cucheval I p. 159 sqq.

2) Quod ipse negans confitetur, ut acute observat Cucheval I p. 189.

stentatus [1]), brevi foedere se coniunxerunt [2]). Hanc ordinum concordiam, quam temporum necessitas in exiguum tempus male sarsit, Cicero in omne aevum confirmatam putabat et eo instrumento uti parabat ad reducendam quietem civitati, quam etiamtunc Catilinaria iuventute periclitari arbitrabatur [3]). Verumtamen magis timendos sibi hostes consciverat illi se consocians foederi „bonorum", id est, optimatibus; equites enim paulo post repressam coniurationem, cum optimates, imprimis Cato, „turpibus et impudentibus" eorum postulationibus adversarentur [4]), a concordia abscissi sunt. Pompeius, cuius magnopere intererat non constabiliri rempublicam, Ciceroni ipsum hoc studenti irasci coepit et eo ipso die, quo Cicero magistratu se abdicavit, per Metellum tribunum ei adversatus est. Quod ad Caesarem, suspicari licet — nam omnia eius facta usque ad consulatum valde obscura sunt — eum minime alienum fuisse ab illis crebris incriminationibus, quibus Cicero propter res in consulatu gestas petebatur [5]). —

---

1) Mommsen III^6 177 sq., Tyrrell I^2 p. 17 sqq. cf. Cucheval I p. 257.

2) Aly Briefe Ciceros[4] Berlin 1894 p. 23: Die Wahl Ciceros entsprang einem Kartell, das die Vertreter der Ordnung und Gesetzmässigkeit gegen die Wühlereien der Umsturzparteien stillschweigend abgeschlossen hatten.

3) Vide e. g. pro Sulla 28, pro Flacco 95.

4) ad Att. I 17.8, 9; 18.7; II 1.8.

5) Vide pro Sulla c. 7—16 (§ 47: nemo me tenuissima suspicione perstrinxit, quem non perverterim ac perfregerim) Drumann

Anni, qui restant usque ad exilium Ciceronis, ex iis sunt, quorum confusionem perscrutanti idem accidit quod paene omnibus tunc temporis viventibus: prae arboribus silvam non videt. Idem ego quoque expertus sum, nam cum omnes excussissem Ciceronis epistulas, quae nobis pro unico fere fonte sunt, noctem plurimam oculis offusam sensi. Quod mirum non est, ipse enim scriptor et in suis et in alienis rebus caecutiebat. Postmodo autem velut lumen subito menti meae effulsit illud Pompeianum de Caesare consule: „imbecillus plus valuit quam tota respublica" (ad Att. VII 9.3) et perspexi Caesarem fuisse, qui Ciceroni „pinnas inciderit" (ad Att. IV 2.5) [1], sed eum non prius chirurgiae manum admovisse quam cum diaetam aeger renuisset [2]. Postquam enim per Clodium Ciceroni timorem incutere frustra conatus est neque eum impellere potuit ut legationem liberam vel quinqueviratum acciperet, Cicero contra fortius invectus est in reges et tyrannos [3], subito inimicum armavit

---

II 517 ann. 92 et 93, V 538 ann. 17, Cucheval I p. 286—288 pro Flacco § 3—5, 94—104, Drumann V 621 sqq. Cucheval I p. 301—305, 312—316.

1) Cf. Vell. Pat. II 45.2: Non caruerunt suspicione oppressi Ciceronis Caesar et Pompeius.

2) Cf. ad Att. IV 3.3.

3) Cic. de domo 41. Idem fecit C. Cato tribunus (ad Q. fr. I 2.15) „et propius nihil est factum, quam ut occideretur" (a. 59). Hoc efficitur Ciceronem timidum saltem non fuisse.

Caesar [1]). Infelix consularis furibundum tribunum vi et armis sibi depellere non potuit, quamquam etiam postea affirmat sibi non exercitum sed duces defuisse (ad fam. I 9.13). Optimatibus enim plerisque plus piscina sua [2]) quam respublica cordi erat et reliqui cum Cicerone vestem mutare ausi sunt, Clodii gladiatoribus resistere non sustinuerunt. Cicero igitur Romam — mox et Italiam — relinquere coactus est. Quem brevi post Cato secutus est. Ratio in promptu. Cato, quod loquebatur tamquam in πολιτείᾳ Platonis non in faece Romuli (ad Att. II 1.8), summa fruebatur apud multitudinem gratia [3]); Cicero, qua erat eloquentia [4]), Caesaris consiliis pervertendae antiquae civitatis molestus esse poterat.

Videmus igitur propter merita — quod eloquentia valebat et causam libertatis deserere noluit — Marcum Tullium ex patria eiectum esse. —

Ovidii vitam ab annis iuvenilibus usque ad exilium

---

1) Cf. Lacour-Gayet de P. Clodio Pulchro tribuno plebis (Lutet. Paris. 1888) p. 35, qui citat Plut. Cat. min. 33, Caesar 14, de Dionis autem narratione haec scribit (ann. 2): Si Dioni Cassio (38,15) creditur, Caesar Ciceroni legationem offerens, Pompeius Ciceronem verbis de Clodio Romae retinens, haec inter se consuluerant ut Ciceronem nihil suspicantem in fraudem adducerent; sed sciendum est Dionem occultis artibus res explicare solitum.

2) Vide ad Att. I 19.6, II 9.1.

3) Cf. Boissier Cic. e. s. a. p. 301.

4) Vide Plin. N. H. VII 30, Plut. Cic. 13, Cucheval I p. 231, sq.

ductam per otia, quae suaserant Aoniae sorores, paucissimis verbis enarrare possumus.

Ut ipse coluit maiores poetas, sic eum coluerunt minores et, quod rarum est, ante mortem ei Musa sublime nomen tribuit: quartus iam vivus dictus est Romanorum poeta elegiacus. Praeter haec nihil ab ipso de vita edocemur nisi tres eum habuisse uxores et ex una [1]) earum filiam. Tertia uxor ex gente Fabia (ex P. I 2.136) et Liviae ut amica (Tr. I 6.25) aulae proxima fuit. Hac re et eo quod postea Metamorphoseon et Fastorum libris scribendis levitatem priorum carminum redimere conatus esse videtur [2]), adducor ut fidem non prorsus negem Boissierii opinioni [3]), eum Augusti favorem captavisse, ut fieret Virgilii Horatiique successor. Sed Augustus oblivisci non poterat Amores et Artem Amatoriam, quibus consilia sua, scilicet ut antiquos mores revocaret, irriderentur, ingentem statim favorem apud aequales invenisse [4]). Nam licet privata vita necessarie demonstret hunc morum priscorum amorem non ex ipsius indole profectum esse [5]), tamen vir

---

1) Secundam fuisse argumentis probabilibus confirmat Owen I² p. XVIII.

2) Cf. Tr. II 333—338, 547—562.

3) L'opposition p. 128 sq. vide supra pag. 8 et Fasti I 14:

Caesaris arma canant alii, nos Caesaris aras.

4) Boissier L'opposition p. 137 ann., ubi citantur Am. III 1.17, Sen. rh. contr. III 7 (p. 371 B 253 K).

5) Sueton. Oct. 69, 71.

πολιτικώτατος optime perspexit corruptione matrimonii imperium pessum ire [1]). Neque iniuria igitur dolebat quod poeta nequissimus summa fruebatur aura populi [2]). Non tamen satis causae esse arbitrabatur ad puniendum scriptorem, libertatem enim dicendi numquam compresserat [3]); aliam offensionem opperiebatur, quae aliquot annis post se obtulit [4]). Quae autem illa fuerit nescimus. Poeta ipse de „errore" suo numquam nisi obscure loquitur, ultro affirmat se numquam disertius locuturum esse [5]) et nos quidem, si non aequales [6]), eum celavit. Maxime probabilis tamen suspicio est, quam in Massonis Vita Ovidii (ap. Burmann IV p. 88) sub nomine Bucherii (1576—1665)

---

1) Seeck Augustus p. 140 sqq.

2) Neque Ovidii neque aliorum huius aevi poetarum vita normae, quam Augustus legibus suis matrimonialibus posuerat, respondebat (Owen I p. 100).

3) Gardthausen Augustus u. s. Zeit Leipzig 1891—96 p. 499 sqq. (p. 501: ein offenes Wort liess er gelten, selbst wenn ihm dadurch empfindlich die Wahrheit ins Gedächtniss zurückgerufen wurde), Seeck p. 86—87.

Nimis diu eum pressit Senecae iniquum iudicium (de clem. I 9—11 impr. 11.2: lassa crudelitas).

4) Cf. Brandt, P. Ovidi Nasonis de arte amatoria libri tres Leipzig 1902 p. IX ann.

5) Tr. I 5.45: Scire meos casus si quis desiderat omnis
Plus, quam quod fieri res sinit, ille petit.
cf. ib. vs. 51 sq., II 208, IV 10.100 etc.

6) Tr. IV 10.99 et alibi.

invenio quamque Boissier (l'opposition p. 140 sqq.) multis confirmavit: Ovidium relegatum esse „ceu sufflatorem, aut conscium" adulterini amoris Iuliae minoris cum D. Silano, quorum supplicium in eundem incidit annum. Eo, quod poeta poenas luit severiores quam ipse adulter, qui amicitia Caesaris tantum prohibitus est [1]), indicari puto non solum sodalem illorum „nobilium iuvenum, qui, adulterio velut sacramento adacti, iam infractam aetatem Augusti territabant" (Sen. de brev. v. 4.6), quorum familiaritatis poetam postea valde poenituit [2]), sed etiam Musam eius corruptricem castigatam esse [3]).

Et hunc igitur hominem, quod habebat praestantissimum ingenium perdidit, cum potentiori displicere coepit.

1) Tac. A. III 24.

2) Vid. e. g. Tr. III 4.44: amicitias tibi iunge pares. Infra cap. ultimo.

3) ex P. III 3.57: Quid tamen hoc prodest vetiti si lege severa
Credor adulterii composuisse notas?

Cf. Ribbeck Gesch. d. Röm. Dichtung II p. 315.

Artis Amatoriae libri bibliothecis publicis arcebantur: Tr. III 1.60 sqq. ex P. I 1.5.

CAPUT I.

DE FONTIBUS.

Cum in Ciceronis, Ovidii, Senecae vitarum prioribus partibus enarrandis non semel inopia fontium conquerenda sit, — quod neque rarum neque mirum est in magnorum virorum initiis, cum alii hominum fata nisi iam illustrium factorum non curent, ipsi obscuriora sua principia prae postera claritudine contemnant —, ad exulantium tam facta quam affectus cognoscenda ampla nos materia fortuna beavit. Immo vero plura etiam nunc habemus testimonia quam ipsi publici iuris esse voluerunt.

De miseriis suis ipse Cicero in orationibus ea pronuntiavit, quae vulgo pro veris venditare cupiebat; in epistulis vero, in libro scilicet III ad Atticum, XIV ad Terentiam, I ad Quintum fratrem, animi interiores motus prodidit, cum ad dissimulandum tempus deficeret. Publicandi enim integros hos epistularum libros Cicero-

nem numquam consilium cepisse, has ob causas mihi persuasum est [1]).

In Cornelii Nepotis vita Attici (c. 16) scriptum invenimus: „eum (Atticum) praecipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit aut familiarior. Ei rei sunt indicio praeter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt editi, undecim volumina epistularum ab consulatu eius usque ad extremum tempus ad Atticum missarum; quae qui legat, non multum desideret historiam contextam eorum temporum."

Quo loco apparet Nepotem apud Atticum tempore, quo scripsit (circiter a. a. Chr. n. 34, Hofmann-Sternkopf p. 13), ineditam adhuc sed tamen pie servatam collectionem Ciceronianarum epistularum vidisse. Quas cum Atticus non ediderit [2]), neque circumcisae neque emendatae ad heredes pervenerunt, et ab eo demum, qui publicavit, ultima — si verba Nepotis „usque ad extremum tempus" ad litteram accipienda sunt — silentio pressa sunt, fortasse quia in iis multa liberius de Augusto dicta erant, quae tam ipsi quam successoribus ingrata essent. Atticum autem editionem non praeparasse his evincitur. Qui per totam Ciceronis vitam famae eius op-

1) Cf. Hofmann-Sternkopf Ausgew. Briefe von M. Tullius Cicero[7] Berlin 1898 p. 5 sqq., Bardt Ausgew. Briefe aus Ciceronischer Zeit Leipzig 1898 Kommentar I p. V sqq.

2) Hofm.-Sternk. p. 13, O. E. Schmidt Briefe Ciceros Leipzig I (1901) p. 5.

time consuluit — exempla nonnulla de exilii tempore infra dabimus — non is censendus est, qui mortuum tanta contumelia afficeret; quod si nihilominus a se impetrare potuerit, non video, qua de causa suas non adiecerit litteras. Quod enim contendunt eum, ne existimationi suae obtrectaretur metuentem non fecisse: vir sagacissimus optime noverat etiam ex solis Ciceronis scriptis se non minus quam Ciceronem nosci. Me igitur iudice Atticus amici famae parcens de editione omnino non cogitavit, quia sciebat Ciceronem nisi „perspectas" et „correctas" nullas litteras edi voluisse (ad Att. XVI 5.4). Praeterea in ordine chronologico, in universum servato, errata nonnulla sunt (e. g. in libro III epistulae priores transponendae sunt et epistula 15 legenda est ante 14), quae Atticus facile tollere potuisset. Cuius autem manus donum illud historico gratum, ipsi scriptori infaustum, posteritati tradiderit dispicere nullo modo possumus. Ante a. 55 p. Chr. n. epistulas cognitas non fuisse, ex silentio Asconii, diligentissimi Ciceronianarum rerum scriptoris, pro certo statuere licet.

Nam quae repugnare videntur apud Quintilianum (VI 3.109): „Ponit (in libro de urbanitate Domitius Marsus) exemplum Ciceronis.... contumeliosi, quod Attico scripsit de Pompeio et Caesare: Habeo quem fugiam; quem sequar non habeo" (ad Att. VIII 7.2) ex Facetiis Ciceronis, quarum librum collegit Tiro, sumpta esse possunt; quae Seneca in dialogo de brevitate vitae (5.2), a. 49 (Gercke p. 289) edito, tamquam ex epistula ad Atticum citat, in nostris non exstant, ut fortasse

corrigendum sit: „ad Axium" [1]). Silentium autem quod de libris ad Atticum non solum post Ciceronis sed etiam post Attici mortem fuit, mihi quidem probat neque Ciceronem neque Atticum, de fama eius sollicitum, omnes epistulas integras publicari voluisse. Et procul dubio in iis, quas iam statim de edendis exemissent, tertius qui nunc est libellus fuisset, quo non solum ea, quae in orationibus de amore suo patriae ipse affirmat, redarguuntur (id Ciceronem non nimis curasse iam supra vidimus), sed etiam multi ex iis, quibus postea maximas egit gratias, quod vere benevolos eos sibi fuisse perspexisset, proditores audiunt et inimici.

De epistulis, quae „ad familiares" dicuntur, intricatior quaestio est. Sunt enim duo loci, qui omnem demant dubitationem, quin iam Cicerone vivo quaedam edita sint vel saltem editioni parata. In epistula 17 libri XVI Cicero Tironi liberto suo scribit: „Video quid agas: tuas quoque epistulas vis referri in volumina." Verba non omni ex parte intellegi possunt, quia nec quae aliae illae epistulae iam in volumina relatae fuerint, scimus nec tempus, quo ad Tironem litterae datae sunt, satis constat. (Putant fuisse ultimis diebus m. Quint. a. 45, Bardt p. VI). Perspicuum tamen est, Tironem in colligendo occupatum fuisse; neque eum consilio destitisse alter demonstrat locus epistulae ad Atticum (XVI 5.5) a. d. VII. Id. Quint. a. 44 datae: „Mearum epistularum nulla est συναγωγή, sed habet Tiro instar septuaginta.

1) Hofm.-Sternk. p. 14 et p. 7.

Et quidem sunt a te quaedam sumendae. Eas ego oportet perspiciam, corrigam: tum denique edentur."

Hic una difficultas est, nam Tironem, qui Ciceroni semper a manu esset, per integrum annum non plus septuaginta epistulas colligere potuisse, nemo credet. Quomodo locus sanandus sit, non facile dictu est, sed mihi quidem non improbabilis videtur Bardtii coniectura (p. VII ann. 1) olim scriptum fuisse:

sed habet Tiro instar hepta
[teuchon; haec diligenter est au]
genda; et quidem sunt a te quaedam sumendae,

in quibus, postquam secundus intercidit versus, in peius correctum est „septuaginta". Id ideo arridet, quia constat posteriores semper per libellos laudare ad singulas datos personas (e. g. „in libro M. Tullii epistularum ad Ser. Sulpicium" Gell. XII 13. 21) [1]), ita ut Cicero Graeco τεύχους vocabulo usus sit pro eo, quod Nepos (l.l.) Latine volumen dicit. Quae eae aut septuaginta epistulae aut septem epistularum libri fuerint, in dubio relinquendum est. Non tamen fuerunt quae ad Terentiam uxorem datae sunt, quippe quibus nonnisi res privatae minimi momenti tractentur exceptis exilii temporibus, quorum intimam cognitionem vulgo impertiisse Ciceronem credibile non est. Epistularum autem ad fratrem tres tantum libri exstant, quibus epistulae insunt inde ab

1) Hofmann-Sternkopf p. 8 et 10.

a. 60 usque ad a. 54 neque plures umquam notae fuerunt, cum plures exstitisse per se intellegatur, quoniam et Marcus proconsul in Cilicia et Quintus cum Caesare in Gallia afuit. Praeterea de nonnullis ex iis, quae supersunt, idem valet, quod modo de iis, quae ad uxorem datae sunt, diximus: exulis summissum produnt animum. Si additur in epistulis libri primi prima et secunda summam fratris vituperationem inesse, in epistula eiusdem libri tertia Pompeium, de quo extremis vitae annis Cicero tam publice quam privatim nisi perhonorificam mentionem non fecit [1]), simulatorem audire, procul dubio nemo credet has inter illa Tironis volumina fuisse. —

Plura igitur nobis quam Ciceronis aequalibus suppeditant, quibus iudicium de eius indole nobis confingamus. Simile quid, si non idem, evenit scriptis Ovidianis.

Tristium quidem libros quinque et Epistularum ex Ponto priores libros tres habemus, quales scriptor eos legi voluit; neque Metamorphoses, cum Vergilii exemplum secutus delere vellet, miro modo conservatas et quamvis imperfectas se invito editas esse nimis poetae credendum est [2]):

1) Cf. e. g. Phil. II 39: ille singularis vir ac paene divinus; ib. 54: imperii populi Romani decus ac lumen fuit; de off. II 20: clades.... summi et singularis viri; ad Att. XI 6.5: non possum eius casum non dolere; hominem enim integrum et castum et gravem cognovi.

2) Cf. Owen ad Trist. III 14.20.

Nec tamen illa legi poterunt patienter ab ullo,
Nesciet his summam si quis abesse manum.
Ablatum mediis opus est incudibus illud,
Defuit et scriptis ultima lima meis....
Quicquid in his igitur vitii rude carmen habebit,
Emendaturus si licuisset, eram.
(Tr. I 7.27—30, 39 sq.)
Inspice maius opus quod adhuc sine fine tenetur.
(ib. II 63)
Dictaque sunt nobis, quamvis manus ultima coeptis
Defuit, in facies corpora versa novas.
(ib. 555 sq.)
Sunt quoque mutatae, ter quinque volumina, formae
Carmina de domini funere rapta sui.
Illud opus potuit, si non prius ipse perissem,
Certius a summa nomen habere manu.
Nunc incorrectum populi pervenit in ora.
(ib. III 14.19—23).

Nam licet quaedam vestigia huius imperfecti status reperiri possint [1]), tenuia tamen ea sunt, neque ad cognoscendum poetam ullius momenti. Est vero finis talis, qualem nullus poeta operi addere possit quod suo quidem iudicio magna ex parte parum adhuc limatum sit ac perpolitum:

Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira nec ignis
Nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas.

1) In den letzten Büchern deutet manches auf einen unfertigen Zustand hin (M. Haupt ad 13.441, Schanz R. L. II p. 152).

Cum volet, illa dies, quae nil nisi corporis huius
Ius habet, incerti spatium mihi finiat aevi:
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar nomenque erit indelebile nostrum.
(Metam. XV 871—876).

Quae post cladem demum in exilio scripta esse has quoque ob causas cuivis demonstrari posse arbitror [1]). Quid significat „Iovis ira" si non de Augusti ira accipitur, ut sescenties in Tristibus et Epistulis ex Ponto? Porro et verba et affectus mire consentiunt cum plurimis locis ex carminibus de exilio scriptis. (Infra cap. ultimo). Denique inest non obscura imitatio Horatiani carminis (III 30):

Exegi monumentum aere perennius
Regalique situ pyramidum altius
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere aut innumerabilis

Annorum series et fuga temporum.
Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit libitinam,

qua procul dubio Ovidius, fretus magna carminum suorum gratia, indicabat non principum favorem sed vocem populi poetis immortalitatem dare.

Sed haec hactenus de libris mutatarum formarum, qui plura de exilii temporibus non docent. —

1) Cf. Ribbeck Gesch. d. Röm. Dichtung II p. 512.

Fastorum opus [1]) dimidia tantum ex parte perfectum clades auctoris abrupit. Sex libri conscripti erant, quorum specimen cum dedicatione — primus fortasse „libellus" — tunc iam editum fuisse videtur [2]):

Sex ego Fastorum scripsi totidemque libellos,
Cumque suo finem mense volumen habet:
Idque tuo nuper scriptum sub nomine, Caesar,
Et tibi sacratum sors mea rupit opus.
(Tr. II 549—552).

Ceteris libris Ovidius, ut opinor, primis exilii annis operam non admovit, cum sibi aliquando Romam reduci necessariis ad alteros sex libros scribendos subsidiis utendi facultatem fore speraret. Spes enim ab Augusto reditum impetrandi numquam eum reliquit. Qui cum ante mortuus esset, Germanicum, qui Aratea Latine reddens simile argumentum carmine tractaverat, adeundi atque ei opus suum dedicandi consilium agitare coepit, utpote quem poetam sibi poetae benevolum putaret:

Non potes officium vatis contemnere vates:
Iudicio pretium res habet ista tuo....
Prosit opemque ferat, communia sacra tueri
Atque isdem studiis imposuisse manum.
(ex P. IV 8.67 sq., 81 sq.)

1) Cf. Ehwald in Burs. Jahresb. 43 (1885) p. 146—148; Ribbeck p. 276 sq., 336.
2) Owen Trist. I p. XXIV.

Scimus et, ad nostras cum te tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui.
Si licet et fas est, vates rege vatis habenas,
Auspicio felix totus ut annus eat.
(Fast. I 23—26).

Sed propositi huius perficiendi tempus mors praeripuit, ita ut modo incohatam alteram recensionem nunc habeamus. Liber primus totus ad mutatum consilium refictus est. Primi versus (3—26) Germanico Fastos offerunt. Quae antea totius operis praefatio fuit, nunc libri secundi sunt versus 3—18. Maxima in poetae verbis, interiectis tot frustratae exspectationis annis, immutatio facta est. Olim se non minus imperio prodesse iactabat quam militem qui fines armis tutaretur, et ut ad se quoque animum attenderet Augustus, non multum abest quin postularet:

Si mihi non valido torquentur pila lacerto,
Nec bellatoris terga premuntur equi,
Nec galea tegimur nec acuto cingimur ense, —
His habilis telis quilibet esse potest —
At tua prosequimur studioso pectore, Caesar,
Nomina, per titulos ingredimurque tuos.
Ergo ades et placido paulum mea munera vultu
Respice, pacando si quid ab hoste vacas.
(F. II 11—18).

Nunc, ipse iam fere sexagenarius, adulescentem supplex rogat, ut benevole se respiciat et demat timorem, qui a scribendo poetam retineat (timidae dirige navis

iter, I vs. 4; deque meo pavidos excute corde metus, vs. 16) atque orat, ne levem aversetur honorem (vs. 5). Prorsus priorem linguae audaciam servilis animi ostentatione redimere velle videtur. Verba verbis nonnumquam respondent, cum tenor priori plane contrarius sit. Confer:

Ergo ades et placido paulum mea munera voltu
Respice, pacando siquid ab hoste vacas.
(II 17 sq.)

cum:

Da mihi te placidum: dederis in carmina vires....
Officioque, levem non aversatus honorem,
Huic tibi devoto numine dexter ades....
Excipe pacato, Caesar Germanice, vultu
Hoc opus.
(I 17,5 sq., 3 sq.). —

Praeter hanc dedicationem Germanici sibi conciliandi studium apparet in gratulatione Iani (I 63 sq.) et in triumphi de Germania mentione (285 sqq.). Tiberium et domum imperatoriam celebrant vs. 637—650 (640: sacratae manus, 646: dux venerande, 649 sq.:

Hanc (Concordiae templum) tua constituit genetrix et rebus et ara,
Sola toro magni digna reperta Iovis.)

et vs. 531—536, ubi Evander futura praedicit:

Et penes Augustos patriae tutela manebit
Hanc fas imperii frena tenere domum.
Inde nepos natusque dei, licet ipse recuset,
Pondera caelesti mente paterna feret.
Utque ego perpetuis olim sacrabor in aris,
Sic Augusta novum Iulia numen erit

In quinque libris, qui sequuntur, semel tantum Germanicus nominatur, ubi Ovidius narrans Solymum unicum Phrygem fuisse, qui Aenean comitatus sit, haec addit:

A quo (a Solymo sc.) Sulmonis moenia nomen habent,
Sulmonis gelidi, patriae, Germanice, nostrae.
Me miserum, Scythico quam procul illa solo est!
(IV 80—83)

Alibi saepius de Augusto ut de vivo adhuc loquitur e. g.:

Templorum positor, templorum sancte repostor,
Sit superis, opto, mutua cura tui.
Dent tibi caelestes, quos tu caelestibus, annos,
Proque tua maneant in statione domo.
(II 63—66)
templi non perstitit auctor:
Augustus nunc est, ante Metellus erat.
(IV 347 sq.)

Apparet igitur Fastos opus esse postumum, cuius longe maior pars iam ante poenam poetae inflictam perscripta fuit. Pars vero retractata non ubique eandem tristitiam et ignaviam exhibet quam loci, quos supra attulimus. In fabula de Evandro ex Arcadia pulso et Romam appellente hic illic poetam se ipsum consolantem comperimus:

Fortuna viriliter, inquit, —
Siste precor lacrimas! — ista ferenda tibi est.
Sic erat in fatis. nec te tua culpa fugavit,
Sed deus: offenso pulsus es urbe deo....

Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spemque metumque suo.
Nec tamen ut primus maere mala talia passus:
Obruit ingentes ista procella viros....
Omne solum forti patria est, ut piscibus aequor,
Ut volucri, vacuo quicquid in orbe patet.
Nec fera tempestas toto tamen horret in anno:
Et tibi — crede mihi! — tempora veris erunt.
(F. I 479—482; 485—488; 492—496).

Qui ea scripsit, studebat ut sibi aequum pararet animum; cuius fortitudinis apud Ovidium nonnisi in posterioribus Ex Ponto libris vestigia occurrunt. —

Dicendum est etiam de quarto Ex Ponto libro, qui liber suspicionem movet, ipsius poetae manum ultimam operi defuisse [1]).

Primo praefationem non habet (epilogus haberi potest carmen ultimum), qua nullum Ovidii opus caret. Attamen unis sexta et nona exceptis omnes huius libri epistulae datae sunt ad amicos, quibus in superioribus libris nulla inscripta est, ita ut huic libro praefatione quam maxime opus esset. Deinde numerus versuum solitum libelli modum non paulum excedit. Consummati igitur speciem liber non habet.

Quod ad Ibin, carmen in ignotum inimicum invectivum, non est cur statuamus id post mortem demum

1) Cf. Ehwald in Burs. Jahresb. 31 (1882) p. 159 Owen I p. XXVI.

poetae editum esse [1]). Non enim in hoc carmine, quamvis multo longiore et vehementiore, magis venenata insunt tela quam in ceteris quae in eundem inimicum scriptae sunt elegiis (Trist. III 11, IV 9, V 8, ex P IV 3 et fortasse [2]) IV 16) neque verisimile est, carmen in quo non nominatur is, qui petitur, quale Ibis est, fuisse inter „libellos aut carmina ad infamiam cuiuspiam sub alieno nomine (nam leges duodecim tabularum caverant, si quis suo nomine id fecisset) editos" (Sueton. Oct. 55) quorum libidinem Augustus a. 12 (Dio 56.27) repressit renovata lege Iulia de maiestate, quam Caesar dictator constituerat (Cf. Tac. Ann. I 72) [3]). Scriptum autem poema est circiter a. 9 p. Chr. n., quo anno Ovidius bis quinque lustra peregerat (vs. 1) atque igitur a. 12 carmen iam pridem editum esse potuit. Sed quae iactabat:

Postmodo plura leges, et nomen habentia verum,
(vs. 641)

„frustra minabatur, numquam facturus fuit. Non quia graviora adhuc dici vix potuerint, aut quia Ovidii ingenium odium suis temporibus dignum sustinere non valuerit, sed ideo, quia si quid seipsum, aut suos amaret, cavendum ei fuit, ne illud experiretur Callimachi:

1) Cf. Ehwald o. c. 43 p. 136: dass das Gedicht erst später ediert sei, ist unwarscheinlich. cf. Wartenberg S. 112.

2) Wölffel Pontische Briefe Einl. p. 2057 sq. Schulz Q. O. ap. Ehwald o. c. 31, 159.

3) Cf. Merkel Prolusio ad Ibin p. 348 sqq.

"Ος δ'ἑτέρῳ κακὰ τεύχει, ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει."
(**Merkel** l.l.). —

Cum in conquirendis fontibus historiae Ovidii exulis discernendum tantum sit utrum scripta ab ipso poeta edita sint necne, **Senecae** miserias cognoscendi cupido alia extricanda est difficultas. Recentiorum enim nonnulli illos ipsos libros, qui plurimum studiis nostris prodesse potuissent, *νοθείας* inusto signo inutiles investigatori reddere conati sunt. **Consolationem** dico **ad Polybium** et **Ludus** qui dicitur **de morte Claudii.**

Librum illum **Diderot** (Oeuvres Paris 1819 Tom. VI 258), nimia permotus Senecae reverentia, magna cum indignatione a sapiente, omni ignaviae labe quem putabat liberum, abiudicavit, a calumniatore confectum et suppositum, genuinum amissum esse contendens. Quem postea nonnulli secuti sunt. Horum tamen opinioni gravissimum adversatur testimonium. Dio enim varia in Senecam crimina congerens — Suillii incriminationes apud Plinium commemoratas eum repetiisse **Gercke** probabiliter demonstravit — haec habet: *οὕτω τὴν Μεσσαλῖναν καὶ τοὺς τοῦ Κλαυδίου ἐξελευθέρους ἐθώπευεν, ὥστε καὶ βιβλίον σφίσιν ἐκ τῆς νήσου πέμψαι ἐπαίνους αὐτῶν ἔχον ,ὃ μετὰ ταῦτα ὑπ'αἰσχύνης ἀπήλειψεν* (Dio 61,10.2). Evidentius quam his verbis consolatio ad Polybium designari vix potest, nam Messalinae laudes, quae in consolatione, qualem habemus, non exstant, fieri potest, ut cum priore libelli parte perierint. Difficultatis tamen

aliquid habere possunt verba ultima. Si enim Dionis vel saltem Plinii temporibus laudatio illa non amplius reperiretur, fieri potuit ut falsarius aliquis sua insereret itaque velut genuino philosophi scripto calumnias suas confirmaret. Cum vero non Plinius post mortem Senecae loquatur, sed Suillius in vivum invehens, omnia plana sunt. Nam imperatoris educator potentissimus impedire procul dubio potuit ne verba sibi contumeliosa in vulgus latius emanarent; quominus invidus aliquis tecte conservaret et occasione oblata promeret, prohibere non potuit. Attamen fac vera esse, quae Diderot ratiocinatur, non multum prodest famae Senecae, nam germana illa consolatio in universum suppositiciae similis fuisse debet (Gercke p. 287). —

Iam de Ludo dicendum est, quem Senecae non esse ultimus, quantum scio, demonstrare studuit A. C. H. Boissevain [1]), cuius argumenta redarguere conabor.

---

1) De Ludo de Morte Claudii Caesaris. Spec. litt. inaug. scripsit A. C. H. Boissevain Lugd Bat. 1895 p. 3—11. Libellus hic Ballio, qui nuper Ludum edidit (A. P. Ball The Satire of Seneca on the apotheosis of Claudius etc., New-York—London 1902) non innotuisse videtur. Idem editor alia quoque argumenta, quae afferuntur ad demonstrandum Senecam non esse auctorem Ludi, refutat pag. 23—48, de nomine satirae disputat p. 48—58. Opus hoc tum demum cognovi, cum paginae, quibus quaestiones de Ludo tractantur, iam sub prelo erant. Perlectis iis quae Ball scribit, in plerisque rebus mecum illum consentire gaudeo.

Primo Boissevain negat ea, quae Dio (60,35. 2—3) de ἀποκολοκυντώσει a Seneca scripta tradit, ad Ludum pertinere posse. Ego aio. Verba Dionis haec sunt: ἔτυχε δὲ (ὁ Κλαύδιος) καὶ τῆς ταφῆς καὶ τῶν ἄλλων ὅσων ὁ Αὔγουστος. Ἀγριππῖνα δὲ καὶ ὁ Νέρων πενθεῖν προσεποιοῦντο ὃν ἀπεκτόνεσαν, ἔς τε τὸν οὐρανὸν ἀνήγαγον ὃν ἐκ τοῦ συμποσίου φοράδην ἐξενηνόχεσαν. ὅθεν περ Λούκιος Ἰούνιος Γαλλίων ὁ τοῦ Σενέκα ἀδελφὸς ἀστειότατόν τι ἀπεφθέγξατο. συνέθηκε μὲν γὰρ καὶ ὁ Σενέκας σύγγραμμα, ἀποκολοκύντωσιν αὐτὸ ὥσπερ τινὰ ἀπαθανάτισιν ὀνομάσας· ἐκεῖνος δὲ ἐν βραχυτάτῳ πολλὰ εἰπὼν ἀπομνημονεύεται. ἐπειδὴ γὰρ τοὺς ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ θανατουμένους ἀγκίστροις τισὶ μεγάλοις οἱ δήμιοι ἔς τε τὴν ἀγορὰν ἀνεῖλκον κἀντεῦθεν ἐς τὸν ποταμὸν ἔσυρον, ἔφη τὸν Κλαύδιον ἀγκίστρῳ ἐς τὸν οὐρανὸν ἀνενεχθῆναι.

De quibus Boissevain (p. 5—6): „Fictas igitur esse lacrimas Dio commemorat Agrippinae et Neronis qui Claudium defunctum sepultura atque iisdem [p. 6] honoribus affici iusserunt quibus olim Augustus affectus erat. Hic igitur Agrippina ac Nero lugere se simulant eum quem necaverunt, evehuntque in coelum quem e convivio extulerunt. Quae omnia perstringuntur dicacissimis verbis Gallionis: „Claudius carnificis uncis in coelum raptus est." Collato Gallionis facete dicto cum Senecae scripto Dio illud Gallionis praefert qui paucissimis verbis plurima cogitationi suppeditat. Quod autem verba Gallionis cum Apocolocyntosei comparantur et una commemorantur argumento est apocolocyntosin

illam copiosius idem amplexam esse quod pauca Gallionis verba continent."

Mihi vero nexus sensuum — quem ipse Dio forsitan clarius expresserit, nam verba nobis tradita sunt ab uno Xiphilino — alius esse videtur: Claudius iisdem ornatus est honoribus atque Augustus (flamonio sc. et consecratione Tac. A. XIII 2). Maeror autem Agrippinae et Neronis fictus erat, nam non eum lugent homines quem de medio sustulerunt neque in caelum ascendisse putant quem paulo ante clam — quasi percussores scilicet qui victimam populi oculis surripiunt — ex convivio asportarunt. „Unde" (i. e. ex illa apotheosi quae tantopere a veritate discrepabat) Gallio materiam ioci lepidissimi de morte Claudii petivit. Eo audaciae confidentius progressus est, quod (*γάρ*) frater Seneca, intimis aulae arcanis initiatus, per libellum apotheosin irriserat. Quem libellum ad exemplum aliarum laudationum, quae in honorem recentium divorum compositae *ἀπαθανάτισις* vel *ἀποθέωσις* inscribi solebant, *ἀποκολοκύντωσιν* appellavit, quia scilicet ut Augustus futuri dei, ita Claudius futuri fatui — nam quos Latini fungos Graeci cucurbitas nominant [1]) — exspectationem moverat [2]). [Quae exspectatio in fine satirae eventum

1) Heinsius ap. Boissevain p. 5.

2) Bücheler (Symb. Philol. Bonn. 1864—1867 p. 37. Cf. Boissevain p. 8): Nicht in einen Gott verwandelte er den Claudius sondern in den Kürbis nach Art der Dichter, welche Menschen mit Rücksicht auf ihre Eigenschaften in gleichartige Pflanzen oder Thiere metamorphosieren.

habet, nam in inferis Claudius tesseris ludit pertuso fritillo, Menandro [1]), Aeaci liberto, traditus, ut sit a cognitionibus [2])]. Sed ut ad Gallionem revertar (*ἐκεῖνος δέ*), paucis multa complexus esse dicitur: cum enim hominum sceleratorum corpora, de quibus supplicium sumptum esset, a carnificibus magnis uncis in forum atque inde in Tiberim traherentur (ex triclinio enim Claudius servorum manibus elatus est) ita Claudium non, ut vulgo fiebat, in flumen abiectum sed in caelum elatum esse. — Quo modo si Dionem interpretamur, non video quare concludamus necesse sit Apocolocyntosin alia continuisse quam quae Ludus contineat. —

Porro Boissevain (p. 8) dicit „vix credibile est Senecam oratione, quam Nero die funeris in Claudii honorem haberet, modo elaborata continuo post pessimis eundem Claudium conviciis consectatum esse." Apparet igitur defensorem Senecae putare eum, qui scilicet Claudii vitia optime novisset neque haberet, cur defuncto imperatori gratum praestaret animum — omnia beneficia Agrippinae favor in eum contulerat — ex animi sententia mortui virtutes laudasse, cum ii, qui audiebant „postquam ad providentiam sapientiamque (oratio)

1) Schanz R. L. II p. 271.1: Es ist der Komiker Menander gemeint, dessen Vorliebe für Darstellung von Rechtshändeln bekannt ist.

2) Fieri tamen potest (Heinrich ap Bücheler p. 37 Schanz l.l., iam Boxhorn [1636] sec. Ball p. 54) ut ultima interierint, in quibus Claudii in cucurbitam mutatio disertis verbis memorabatur.

flexit, risui non temperarunt" (Tac. A. XIII 3). Immo de Seneca valent, quae de Nerone scribit Plinius (Paneg. 11): „dicavit caelo Claudium, sed ut irrideret."

Mirari autem quemquam posse in Ludo allusiones ad Claudii mortem deesse (Boissevain p. 8), non intellego. Nonne insani fuisset simul novum imperatorem tamquam hominum servatorem atque saeculi aurei renovatorem praedicare (Lud. 4), simul scelera, quibus alter hic Saturnus principatum occupaverat, evulgare? At Nero, testibus Dione (l.l.) et Suetonio (Nero 33) boletos „deorum cibum" dicebat! Sed quando et apud quos, auctores non tradunt: fortasse coram familiaribus et postquam „cuncta pernotuere", quod „mox" factum esse narrat Tacitus (A. XII 67). Insuper: quod licet Iovi non licet bovi.

Quae ex Tacito in laudem Senecae afferuntur (XIII 2 et XV 65) mihi quidem ad speciem tantummodo videntur laudabilia: „comitatem" enim, quae „lubricam principis aetatem, si virtutem aspernatur, voluptatibus concessis retinere" studet, in sapiente admirari non possum, quoniam ille scire debebat „evulgatum pudorem non satietatem sed incitamentum afferre" [1]). In altero loco (XV 65) Seneca coniurationis Pisonianae particeps dicitur, summa profecto laus! Quae vero alia ex Tacito in honorem Senecae citari possunt, ut pulcherrima eius mors, infirmat illud: „Fabius inclinat ad laudes Senecae, cuius amicitia floruit" [2]).

1) Tac. A. XIV 14. Cf. Dio 61,4.2 Gercke p. 228.
2) Tac. A. XIII 20. Cf. Gercke p. 262—271.

In hoc uno cum Boissevanio sentio Agrippinae alicui asseclae satiram de Claudio tribuendam esse; verum assecla ille fuit — Seneca. —

Ut rationem subducam: fontes nobis ad manum sunt:

1° quos ipsi scriptores publici iuris esse voluerunt:
Ciceronis orationes,
Ovidii Metamorphoses, Tristia, ex Ponto I—III, Ibis,
Senecae consolatio ad Helviam matrem;

2° quos omnino abscondi maluerunt:
Ciceronis epistularum ad Atticum l. III, ad Familiares l. XIV, ad Quintum fratrem l. I,
Senecae consolatio ad Polybium et Ludus;

3° quos mors imperfectos relinquere coëgit:
Ovidii Fasti et l. IV epistularum ex Ponto. —

Praeterea Ovidius in exilio carmina quaedam scripsit, quae ad nos non pervenerunt [1]):

1. Carmen in Tiberii de Pannonia triumphum: ex P. III 4 Cf. II 5. 27 sq.:

> Nuper, ut huc magni pervenit fama triumphi,
> Ausus sum tantae sumere molis opus.

2. Carmen in honorem Augusti recens mortui:

> Quale tamen potui, de caelite, Brute, recenti
> Vestra procul positus carmen in ora dedi.
> (ex P. IV 6. 17 sq.)

> Perveniant istuc et carmina forsitan illa,
> Quae de te misi caelite facta novo.
> (ex P. IV 9. 131 sq.).

1) Cf. Owen I p. XXVI sq.

3. Carmen Getico sermone conscriptum in laudem, Divi Augusti, Tiberii et familiae imperatoriae:

> Ah! pudet, et Getico scripsi sermone libellum....
> Materiam quaeris? laudes. de Caesare dixi [1]).
> Adiuta est novitas numine nostra dei....
> Esse parem virtute patri, qui frena rogatus
> Saepe recusati ceperit imperii, etc.
> (ex P. IV 13 19, 23 sq., 27 — 32.).

4. Halieuticorum, quae „supremis suis temporibus incohavit" (Plin. N. H. 32, 152), fragmentum exstat, quod spurium esse sunt qui iudicent [2]). —

In editionibus Senecae epigrammata novem vulgo exprimuntur, quorum primum tantum, secundum, septimum codicum mss. auctoritas Senecae vindicat. Num haec quidem genuina sint, pro certo affirmari nequit (Schanz R. L. II. p. 272).

De tragoediarum aetate cum nihil certi statui possit (ib. p. 269 sq.), nobis agendum de iis non est.

Gercke (p. 287 sq.) exilii temporibus librum quoque tertium de Ira ascribit, sed cum ipsa huius sententiae argumenta non admodum firma sint, de exilio scriptoris ex hoc opere multum disci non posse satis est perspicuum.

1) Interpunctio secundum H. Gilbert Fleckeis. Jahrb. 1896 p. 62.

2) Epicedion in M. Valerium Messallam (ex P. I 7.29 sq.) et epithalamium Paullo Fabio Maximo (ib. I 2.133 sq.) Romae iam scripsit.

CAPUT II.

CHRONOLOGICA.

Ne in reliqua dissertationis parte argumentandi cursum identidem abrumpere opus esset, ut ad quaestiones chronologicas deflecterem, has tabellas, quas aliorum investigationibus consultis composui, praemittere melius mihi visum est.

CICERO [1]).

Anno 59.

10 Dec. (a. d. IV Id. Dec.).

Clodius tribunatum init [2]).

1) Cf. Suringar Annales Ciceroniani, Leidae 1854 p 662—690.

2) Vide supra p. 37 ann. 1.

Anno 58.

circiter 20 Mart. (a. d. XIII Kal. April.) [1]

Lex Clodia perlata est: ut qui civem Romanum indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur.

ultimis m. Martii diebus [1]

Promulgata altera lex Clodia est: ut M. Tullio aqua et igni interdictum sit.

circiter Kal. Apriles

epistula ad Atticum III 1 scripta est [2], cum Cic. iter facit, ut extra Italiam quam celerrime sit.

Circiter 5 April. (Non. April.)

ad Att. III 3 in itinere.

8 April. (a. d. VI Id. April.)

ad Att. III 2 Naribus Lucanis.

---

1) Cf. Hofmann-Sternkopf. Ausgew. Briefe etc. p. 71.

2) Ordinem epp. 1—5 hunc esse demonstrarunt Smith Ciceros Journey into Exile, Harvard Studies VII (1896) p. 65—84 et Hofmann-Sternkopf p. 71 sq.

Cicero postquam Naribus Lucanis profectus est, proxima nocte illo ex libris de Divinatione (I 59; II 137, 140 cf. Val. Max. I 7.5) noto somnio usus est „in villa quadam campi Atinensis" [1]).

10 April. (a. d. IV Id. April.)

ad Att. III 5 Thuriis.

13 April. (Id. April.)

ad Att. III 4 inter Vibonem et Brundisium.

17 April. (a. d. XV Kal. Mai.)

ad Att. III 6 de agro Tarentino.

Cicero Brundisium venit.

30 April. (pridie Kal. Mai.)

ad Att. III 7 Brundisii.

eodem die

ad fam. XIV 4 Brundisii

Cicero Thessalonicam venit.

---

1) Qui campus erat in Apulia, cf. Plin. N. H. II 225 (Smith p. 80). Ibi, iuxta pagum cui nomen nunc Polla est, hodie quoque parietinae exstant amphitheatri, murorum, portarum (Baedeker Italie III[8] [1887] p. 214).

29 Mai. (a. d. IV Kal. Iun.)
ad Att. III 8 Thessalonicae.

Ante mensem Iunium (ad Att. III 8) discidium factum est inter Clodium et Pompeium (Lacour-Gayet p. 51—53).

Kalendis Iuniis senatus frequens de Ciceronis reditu decernit, referente L. Ninnio tribuno plebis, cui intercedit Aelius Ligur.

13 Iun. (Id. Iun.)
ad Att. III 9 Thessalonicae.

eodem die
ad Q. fr. I 3 Thessalonicae.

18 Iun. (a. d. XIV Kal. Quint.)
ad Att. III 10 ib.

28 Iun. (a. d. IV Kal. Quint.)
ad Att. III 11 ib.

17 Iul. (a. d. XVI Kal. Sextil.)
ad Att. III 12 ib.

21 Iul. (a. d. XII Kal. Sextil.)
ad Att. III 14 ib.

mense Sextili ineunte
ad Q. fr. I 4 ib.

5 Aug. (Non. Sextil.)
ad Att. III 13 ib.

11 Aug. (a. d. III Id. Sext.) in templo Castoris comprehensus est servus P. Clodii, quem ille ad Pompeium interficiendum collocarat; qua de re Pompeius quidem deinde se tenuit domi.

19 Aug. (a. d. XIV Kal. Sept.)
ad Att. III 15 ib.

21 Aug. (a. d. XII Kal. Sept.)
ad Att. III 16 ib.

5 Sept. (Non. Sept.)
ad Att. III 17 ib.

medio mense Septembri.
ad Att. III 18 ib.

16 Sept. (a. d. XVI Kal. Oct.)
ad Att. III 19 ib.

4 Octob. (a. d. IV Non. Oct.)
ad Att. III 20 ib.

5 Octob. (a. d. III Non. Oct.)
ad fam. XIV 2 ib.

28 Octob. (a. d. V Kal. Nov.)
ad Att. III 21 ib.

29 Octob. (a. d. IV Kal. Nov.) de Ciceronis reditu promulgant tribuni (cf. ad Att. III 23. 2 sqq.). Deinde P. Lentulus consul designatus Ciceronis causam suscipit.

Cicero Dyrrhachium proficiscitur.

26 Nov. (a. d. VI Kal. Dec.)
ad Att. III 22, partim Thessalonicae, partim Dyrrhachii scripta.

eodem die
ad fam. XIV 1 Dyrrhachii.

30 Nov. (pridie Kal. Dec.)
ad Att. III 23 ib.

eodem die
ad fam. XIV 3 ib.

10 Dec. (a. d. IV Id. Dec.) novi tribuni praeter duos Ciceroni faventes magistratum ineunt.

10 Dec. (a. d. IV Id. Dec.)
ad Att. III 24 ib.

mense Decembri
ad Att. III 25 ib.

Kal. Jan. a. 57
P. Lentulus cons. assentiente senatu nihil humanarum rerum prius quam de Cicerone agendum iudicat [1]). Cum alius alio ornatius de Ciceronis salute dixisset, eo die confecta res esset, nisi Sex. Atilius trib. pl. noctem sibi ad deliberandum postulasset.

mense Ianuario a. 57.
ad Att. III 26 ib.

25 Ian. (a. d. VIII Kal. Febr.)
perspecta voluntate senatus causa ad populum defertur. At Clodiani eo die caede in foro maxima facta, flumine sanguinis reditum Ciceronis intercludendum putant.

Paulo post senatus decernit ut litteris consularibus ex senatus consulto omnes, qui rem publicam salvam velint, cuncta ex Italia Romam convocentur.

exeunte mense Ianuario
ad Att. III 27 ib.

Metellus consul absens cum Cicerone redit in gratiam.

1) Quod promissum senatus non servavit prius provincias designans consulibus (ad Att. III 24). Cf. Morabin Histoire de l'Exil de Cicéron Paris 1726 p. 328—330.

ineunte anno 57
ad fam. V 4 (ad Metellum cons.) ib.

3 Aug. (a. d. III Non. Sextil.)
senatus auctore Pompeio iudicat rempublicam Ciceronis consiliis esse conservatam.

Postridie (4 Aug., pridie Non. Sext.)
populus Ciceronem ab exilio revocat omnium centuriarum consensu.

OVIDIUS.

a. 8 p. Chr. n.
Iuliae minoris cum D. Silano adulterium deprehenditur et punitur.

a. 8 p. Chr. n.
Ovidius autumno a. 8 relegatus est [1]).

1) Schanz R. L. II p. 128. De iis, quae sequuntur cf. Graeber Quaest. Ovid. I Progr. Elberfeld 1881, id., Untersuchungen über Ovids Briefe aus der Verbannung Progr. Elberfeld 1884, Schulz Quaest. Ovid. Gryphiswaldiae 1883 (diss. inaug.), Wartenberg, Quaest. Ovid., quibus agitur de Tristium, Ibidis, Epistularumque, quae „ex Ponto" inscribuntur, temporibus, Diss. inaug Berolini 1884; quorum opusculorum summam cognovi ex Güthlingii editione Fastorum, Tristium etc. Lipsiae 1885 p. LXV sq., Ehwaldii censuris in Burs. Jahresb. 31 (1882) p. 157—160, 43 (1885) p. 130—138, Owenii editione ll. I et III Tristium.

a. 9 Tristium l. I, in itinere scriptus, Romam mittitur et

eodem anno Tristium l. II.

a. 10 Tristium l. III, statim post II scriptus, vere a. 10 Romam mittitur.

inter annos 11 et 12 Tristium l. IV.

inter annos 12 et 13 Tristium l. V, qui liber absolutus est antequam nuntius de triumpho Tiberii Tomos perlatus est.

16 Ian. (a. d. XVII Kal. Febr.) a. 13 triumphus Tiberii de Germania agitur.

a. 13 Epistularum ex Ponto ll. I—III, variis temporibus scripti (vid. infra), editi sunt.

Ibis post annum 8 verum ante mortem Augusti scriptus est.

19 Aug. (a. d. XIV Kal. Sept.) a. 14 Augustus mortuus est.

liber IV ex P., post mortem demum poetae editus, continet epistulas usque ad **annum** 16.

Anno 17 Ovidius mortuus est.

Ex Ponto librorum I—III epistulas singulas ad singulos amicos missas, postea collectas et sine ordine iunctas esse ipse poeta significat ex P. III 9. 1 sq., 51—54. De libro IV iam supra idem statuimus. Complurium autem carminum tempora accuratius definita sunt (Sch. = Schulz, W. = Wartenberg, E. = Ehwald in Burs.):

Liber I: 1 (a. 13, cum editi sunt ll. I—III.) 2 (initio hiemis 12. Sch.) 3 (post triumphum 16 Jan. 13. Sch.; ante Tr. IV 6 [?]. W.) 6 (ante II 6. W.) 7 (ante II 2. Sch.) 8 (post IV 1. W.)

Liber II: 1 (non ante ver 13. Sch.) 2 (vere 13. Sch.) 5 (non ante ver 13. Sch.) 6 (post I 6. W.) 8 (a. 12. Sch.)

Liber III: 1 (vere 13. Sch.) 3 (init. Ian. 13. Sch.) 4 (non ante ver 13. Sch.) 5 (ante II 8. Sch.) 7 (post triumphum. Sch.) 8 (ante II 1. E.) 9 (a. 13, cum editi sunt ll. I—III.).

Liber IV: 1 (in fine 13. W.) 2 (ante I 8. W. Aliter explicant Merkel prol. 378 et Wölffel p. 2196) 4 (post IV 1, a. 14. W.) 5 (post IV 1, a. 14. W.) 6—9, 12—15 (post mortem Augusti. Sch.) 9 (aestate 16. W.) 10 (post init. a. 14. Sch.; aestate 14. E.) 13 (hieme 14—15. E.).

Omnino non definita restant: I 4, 5, 9, 10; II 3, 4, 7, 9, 10, 11; III 2, 6; IV 3, 11 (E. 43, 146), 16.

SENECA.

a. 41 Seneca in exilium pellitur.

a. 41 aut 42 scribit cons. ad Helv. m.

Sub finem a. 43 Claudius in Britanniam proficiscitur.

a. 43 exeunte aut 44 ineunte (Diepenb. p. 68) scribit cons. ad Polyb.

autumno a. 48 Messalina inimicorum insidiis succumbit.

a. 48 Seneca revocatur.

CAPUT III.

DE IGNOMINIA NOMINIS EXULIS.

Olim tempus fuit, quo omnis peregrinus hostis vocabatur nomine [1]) et revera hostis loco erat, quippe qui iure frueretur nullo. Iis igitur temporibus exilium, id est civitatis ademptio, poena erat morte non levior: damnatus, civitate sua privatus, alienam adipisci non poterat et misericordia sola, nullo iuris civilis subsidio, peregre vitam sustentabat.

Illa ex antiquitate, ut leges multo tardius mutantur quam mores, vetus institutum Romae remansit, ut cuivis ultimi supplicii condemnato optio daretur, utrum vitam sibi adimi an civis Romani nomine amisso omne vinculum quod sibi cum civibus suis esset abrumpere mallet. Quod legi idem erat, nam qui nullius iuris

1) Varro L.L. V § 3, Cic. de Off. I 37.

esset, eum omnino non esse legitimum habebatur. Condicio tamen exulum magis magisque gliscente humanitate et commercio sensim in melius mutata est. Primum in ceteris tolerabantur civitatibus ubi, cum peregrinorum iura iis quoque paterent, mortis saltem timore liberi erant; tum civitatis alienae acquirendae copia facta est, denique huc illuc, quia vulgo Roma nonnihil secum tulerant, ultro invitabantur. Cum legimus eos, qui ultimis temporibus liberae rei publicae solum verterunt, Massiliam abiisse, ut ibi vasis suis Corinthiis, vita sua sibi carioribus, fruerentur [1]), aut in oram Asiae migrasse, ubi tantam vitae otiosae cupiditatem conciperent, ut ne rogati quidem remeare in patriam vellent [2]), exilium eos damnationi praetulisse facile intellegimus. Attamen eo quod extra Italiam vivere cogebantur, prisca iam graviore poena afficiebantur, nam olim vel Tibur [3]) recedens aliquis legi satisfaciebat. Quae consuetudo in minoribus delictis postea quoque remansit, ut apparet ex Iuvenalis verbis de decoctoribus „qui vertere solum, Baias et ad ostrea currunt" (XI 49). Qui tamen poena graviore digni erant non tantum Roma et Italia pellebantur, sed certis etiam finibus includebantur, sive, (ut de Cicerone — et quod sciam primum — accipimus) intra certum ab Italia

1) Verres (Plin. N. H. XXXIV c. 2)

2) Marcellus (Sen. ad H. m. 9.4—10.1)

3) Ovid. ex P. I 3.81 sq., Fasti VI 665 sq., cf. Cic. p. Caec. 98: in colonias Latinas, Polyb. VI c. 12.

spatium versari vetabantur, sive (ut aetate imperatoria usu venit) regio quaedam, semper fere insula (Mayor ad Iuven. I 73), habitanda designabatur. Tota autem poenae indoles penitus mutata erat, nam cum olim is, qui e civitate eiciebatur, omnia civitatis iura amitteret — videlicet non amplius inter vivos habebatur — iam cum exilio non nisi capitis deminutio media coniuncta erat. Revera Ciceroni concedendum est illis temporibus exilium supplicium non fuisse sed perfugium portumque supplicii (pro Caec. c. 34), nam qui locum mutabant itaque civitatem amittebant, iis neque vitae neque bonorum periculum adeundum erat; licet etiam reo in exilium profecto causa perageretur et poena pronuntiaretur, levia haec ducere licebat, quia legibus Romanis in hominem non amplius civem Romanum nulla vis erat. Praeter hoc voluntarium legitimum quoque erat exilium — aqua et igni interdictio — cuius incommoda revera maiora non erant. Quibus ita interdictum erat, ii intra fines earum regionum, quarum incolae cives Romani erant, a nullo res, quae maxime ad vitam sustentandam necessariae sunt, accipere poterant, aliis vero imperii incolis peregrinorum numero erant. Voluntariis autem exulibus eadem fere vitae ratio erat, nam vel mortis vel multae supremae damnatis, si res spectatur, reditus aeque atque lege e civitate eiectis interclusus erat. Quos plerosque vitam et pecuniam patriae praeferre solitos esse iam supra exemplis docuimus. Sequitur etiam legitime expulsis non nimium civitatis amissae fuisse de-

siderium. Graviorem igitur poenam institui oportebat, ut a scelere absterreretur. Claudendae erant insulae illae beatorum, ubi, qui omnino dignitatem amisissent etiamsi Romae mansissent, otio fruebantur iucundissimo. Hinc clausula illa in lege de exilio Ciceronis, „ne intra quadringenta milia ab Italia esset." An primus fuerit, cui fines accuratius praescriberentur dubito. Postea vero cum sub imperatoribus imperii incolae extra Romam maiore libertate fruerentur quam aulici quibusvis principis libidinibus obnoxii, homini libertatis amanti optatius fuisse necesse est exilium quale antea fuerat quam lubricam incertamque unius viri gratiam. Quo comperto iam Augustus exilium plerumque relegatione vel deportatione mutavit, quarum illa iam eo minus mitis erat, quod relegatis, quamquam aeque atque exules civitate amissa libertatem retinebant (Gaius I § 161), liber commeatus extra fines Italiae adimebatur. Vulgo enim certus definiebatur locus, sive provincia sive insula, ubi habitarent [1]). Bonorum quidem possessione relegato non interdicebatur sed iam inde ab Augusto „quoniam delicatius nonnulli vivebant" eo usque coercendus erat opum usus, ut praescriberetur *μήτε πλοῖα πλείω φορτικοῦ τε ἑνὸς*

---

1) Dio (56.27) constitutionem quandam Augusti commemorat qua *ἀπηγόρευσε μηδένα πυρὸς καὶ ὕδατος εἰρχθέντα μήτε ἐν ἠπείρῳ διατρίβειν, μήτε ἐν νήσῳ τῶν ὅσαι ἔλαττον τετρακοσίων ἀπὸ τῆς ἠπείρου σταδίων ἀπέχουσι· πλὴν Κῶ τε καὶ Ῥόδου, Σαρδοῦς τε καὶ Λέσβου.*

χιλιοφόρου, καὶ κωπήρων δύο κεκτῆσθαι · μητε δούλοις, ἢ καὶ ἀπελευθέροις, ὑπὲρ εἴκοσι χρῆσθαι [1]) · μήτ' ουσίαν ὑπὲρ δώδεκα καὶ ἡμίσειαν μυριάδα ἔχειν. (Dio 56.27). Quae consuetudo postea quoque in usu remansit, ut apparet ex Seneca (cons. ad H.m. 12.4): „eo temporum luxuria prolapsa est, ut maius viaticum exulum sit quam olim patrimonium principum fuit." Quae commoda effecerunt ut relegatis leve malum esset carere patria, in qua non amplius quot senatores tot reges erant, sed unus rex et ceteri servi; deportatis vero velut carcer aspera et deserta fere designabatur rupes habitaculum; bona publicabantur; morte paene gravius onus imponebatur.

Itaque exilio ex „poenae perfugio" poena legitima facto, damnum, quod incurrebat reus, maius factum est, ignominia tamen, quae civem expulsum sequebatur, minor: reo non, ut antea, de communi, quae dicebatur, sententia omnium civium suorum commercium praecidebatur neque ut eius contagionem vitarent reliqui monebantur; sed si quis unius imperatoris, saepe ob causas privatas vel saltem vulgo incognitas, in odium venisset, ei non tamquam dignitate civili iam indigno, sed soli principi ingrato vel formidoloso custodia designabatur. Qui autem damnatorum familiares erant, cum omnino huius temporis proceres amissis cum re publica solitis occupationibus tam fervide Stoicorum placita admirarentur, ut iis Cato defensor ultimus libertatis esset,

1) Cf. Dio 59.8 i. f.

saepissime imperatoris quos vocabant victimas martyrum loco venerabantur. Nam etiam si iustas ob causas imperator sententiam tulerat, factum est, quod teste Dione (55.18) iam Livia Augusto praedixerat: multos ex invidia aut avaritia, alios ob metum fortitudinis aut opinionem nobilitatis ipsorum necare existimabatur.

Diversae huius exilii aestimationis exempla in Ciceronis, Ovidii, Senecae scriptis videbimus.

C i c e r o, qua erat vanitate, numquam confiteri voluit se revera a populo ex patria esse eiectum; modo multitudinem, quae legem de pernicie sua comprobarat, non verum fuisse populum (Cf. pro Sest. 73, de dom. 68, de leg. III 45), Clodium non magis se violasse quam senatum, quam equites Romanos, quam omnes bonos, quam Italiam cunctam (de harusp. resp. 4), modo legem ipsam vitio latam esse magna voce contendebat (ib. 48, in Pison. 30, B o o t ad Att. III 15.5). Ea omnia agebat, ut ignominiam nominis vitaret, quae quanta etiam tunc temporis fuerit, inde efficitur, quod a. 54 Gabinius a Cicerone altercatione vulneratus, ad extremum ut vehementissimo convicio exulem eum appellavit „Hic (ita Cicero) — o di! nihil umquam honorificentius nobis accidit — consurrexit senatus cum clamore ad unum, sic, ut ad corpus eius accederet: pari clamore publicani" (ad Q. fr. III 2.2). Cicero autem ipse coactam suam extra Italiam commorationem vero nomine appellare postea semper evitat, loquitur de „laboribus," „indignissima fortuna," „calamitate," „tempore suo," „clade,"

„aerumna," „casu"; cum ante acceptam contumeliam aperte „eiectionem" dixisset [1]). —

Ovidius Tomos summotus est cum iam exilii nova forma legibus constituta esset, sed ut est existimatio hominum legibus etiam tenacior, etiam tunc novo genere maiestatis condemnatos, si exules appellabantur, eadem manebat ignominia atque eos, qui prisco more populi voluntati oboedientes patria cesserant. Privilegii igitur loco habendum est, poetam infelicem relegati nomine ab exulibus discerni; neque aliter Ovidius ipse iudicabat, qui non ita raro de hac relegati appellatione tamquam de beneficio loquitur. (Non tamen obliviscendum est bonorum quoque possessionem legitimam et civitatem relegatum exuli antiquo anteposuisse). Pro ea re gratias agit ipsi Augusto:

Ira quidem moderata tua est, vitamque dedisti,
Nec mihi ius civis nec mihi nomen abest,
Nec mea concessa est aliis fortuna, nec exul
Edicti verbis nominor ipse tui.
(Tr. V 2.55—58)

et contra alios se ab ignominioso illo nomine defendit:

Forsitan obiciunt exiliumque mihi.
(Tr. V 10.40)

quo convicio imprimis uxor petebatur:

Me miserum, si tu, cum diceris exulis uxor,
Avertis vultus et subit ora rubor!
(Tr. IV 3.49).

1) Ad fam. XIII 4.1; p. red. ad Q. 7; ad Att. III 10.2; pro Sest. 123, 31, 49, 140 (Drumann V 649). — ad Att. II 18.1

Ultima, quae mecum seros permansit in annos,
Sustinuit coniunx exulis esse viri.
(ib. 10.73)

Quod te nescio quis per iurgia dixerit esse
Exulis uxorem, littera questa tua est....
Fallitur iste tamen, quo iudice nominor exul:
Mollior est culpam poena secuta meam....
Ipse relegati, non exulis utitur in me
Nomine....
At tu fortunam, cuius vocor exulis ore,
Nomine mendaci parce gravare meam!
(Tr. V. 11, 1 9, 21, 29 sqq.).

Cognovimus igitur Ovidii temporibus opinionem vulgi non admodum mutatam esse, si cum Ciceronis aequalibus comparetur. Longe aliter de exulibus, quos nunc politicos dicimus, sentiunt paulo posteriores scriptores omnes, ei quidem qui supersunt summo loco nati et Graecorum philosophorum praeceptis, quae de exilio cogitationes ab antiquis diversas tradere solebant, imbuti.

Antiquitus in Graecia de exulibus eadem opinio quae Romae fuit; civitate orbi ubique sacri erant [1]). Sed causa erat cur brevi ignominia minueretur. Multo crebriores in Graecis quam in Italicis urbibus rerum mutationes erant atque omnis factio, quae ad exiguum tempus superior evasit, adversarios uno agmine urbe pellebat. Ita factum est ut cuivis partium duci semper eiectio

1) Cf. e. g. Fustel de Coulanges La cité antique p. 237 sq.

ante oculos versaretur, sed simul ovans in patriam reditus. Cum deinde reputaverimus quot ex iis, quos Graeciae viros maximos et aequales existimaverunt et posteriores existimant, exilium tulerint, non mirum videbitur apud philosophos disputationes de exilio quaestionesque, utrum malum sit an indifferens, frequentissime occurrere et eos ad unum omnes contendere ignominiam, quae vulgo inter maxima exilii incommoda habetur, sapientem omnino tangere non posse. Quarum [1]) disputationum compendii loco sunt quae legimus apud Plutarchum in libello de exilio (c. 15), qui Diogenis, Camilli, Themistoclis, Ciceronis, Timothei exempla citat; et in Ciceronis libro quinto Tusculanarum disputationum (c. 37 § 107), ubi philosophos exules enumerat dicitque verum sapientem, qualis Socrates fuit, mundanum se putare neque consolari exulantem eum oportere, cum ad omnem rationem Teucri vox accommodari possit: patria est, ubicumque est bene. Patriam autem philosopho certe talem esse non posse, qualis Ephesus fuerit, quae Hermodorum expelleret hac causa allata: „nemo de nobis unus excellat; sin quis exstiterit, alio in loco et apud alios sit," aut quales Athenae Aristidem, quod praeter modum iustus esset, eicientes (ib. 105). Seneca vero in consolatione ad Helviam matrem (c. 13) generaliter de eo loquitur, quod ignominia sapiens omnino moveri non potest. In fonte ex quo hausit specialiter

1) De iis, quae sequuntur, conferatur A. Giesecke, de philosophorum veterum quae ad exilium spectant sententiis. Lipsiae 1891, p. 52 sqq.

de morte ignominiosa actum esse videtur itaque Seneca eo perductus est, ut copiose ageret de morte Socratis et Catonis et in narranda contumelia, qua Aristides patria cedens affectus est, id ipsum, in exilium eum iisse, non commemoraret (§ 7: Ducebatur Athenis ad supplicium Aristides etc.). Tum denique meminit se de exilio scribere neque ulla interposita iunctura post narrationem de Aristide addit (§ 8): „Scio quosdam dicere contemptu nihil esse gravius, mortem ipsis potiorem videri. His ego respondebo et exilium saepe contemptione omni carere. Si magnus vir cecidit, magnus iacuit, non magis illum putes contemni, quam cum aedium sacrarum ruinae calcantur, quas religiosi aeque ac stantis adorant." Repetit quae supra (c. 9) multis disseruerat de Marcello exule, qui tam beate viveret, ut Brutus diceret, postquam Mytilenis Marcellum vidit: „visum sibi se magis in exilium ire, qui sine illo rediturus esset, quam illum in exilio relinqui," tamque ardenter desideraretur, ut — ita Seneca quidem asseverat — senatus, cum publicis precibus a Caesare reditum impetraret, „tam sollicitus ac moestus esset, ut omnes illo die Bruti habere animum viderentur et non pro Marcello sed pro se deprecari, ne exules essent, si sine illo fuissent." Quae sane Marcello fuissent honorificentissima, si de eo primo dicta essent, sed pridem iam dictum illud locus communis exstiterat, postquam Diogenes Cynicus primus eo usus est. Ille enim (Diog. Laert. VI 49) dicenti: „Sinopenses te exilii condemnaverunt," respondit: „Et ego illos mansionis." Quod enuntiatum ab aliis varie

retractatum est et a Cicerone, qua erat modestia, ita, ut pro Diogene se ipse substitueret (Parad. IV § 30): „Potes autem esse tu (Clodi) civis, propter quem aliquando civitas non fuit? Et me tuo nomine appellas, cum omnes meo discessu exulasse rem publicam putent?"

At ea philosophantium scriptorum erant et de Cicerone supra vidimus vulgi opinionem tunc aliam fuisse. Sunt tamen quaedam indicia licet posterioris paulo aetatis eam quoque mutatam esse ex aliis quam philosophorum castris. Iuvenalis (XIII 247) loquitur de scopulis frequentibus „exulibus magnis," quod Plinius pluribus declarat (paneg. 35): „Quantum diversitas temporum potest tum maxime cognitum est, cum isdem quibus antea cautibus innocentissimus quisque nunc nocentissimus affigeretur, cumque insulas omnes, quas modo senatorum, iam delatorum turba compleret." Quibus testimoniis fidem facit longa series expulsorum nobilium, quorum nomina apud Tacitum et Dionem implent paginas neque fieri potest quin tot exempla, quorum permagna pars iam ad Caligulae tempora pertinet, effecerint ut sensim evanesceret ignominia.

Hisce omnibus perpensis mihi quidem Ovidii condicio, quod ad ignominiam attinet, fuisse videtur gravior quam aut Ciceronis aut Senecae, quippe cui spes mutationis esset minor quam Ciceroni et quamvis nova lege damnato etiamtum priscorum exulum dedecus perferendum esset, quod aetate Senecae prope iam in honorem abiit.

Caput IV.

DE PATRIA.

Antiquissimis temporibus patria carere exulibus idem significabat atque omni vitae splendore et commodo iam esse privatum: cum religione ius, cum familia opes, cum civitate honores effugerant. Non igitur mirum est, si acre patriae nascitur desiderium atque, illa tantorum munerum auctor si amissa est, velut orbus homo relinquitur, qua de causa patriae amor inter altissimos semper animi affectus fuit. Ille autem amor atavismo quodam, ut nunc loquimur, permansit etiam cum incommoda illa peregrinationis non iam exstabant, cum nulla iam iusta causa erat homini, cur suam alienae terrae praeferret Ita natus est „amor patriae, ratione valentior omni" (Ov. ex P. I 3.29).

Attamen non de eo amore ei qui de patriae desiderio in Cicerone, Ovidio, Seneca agit, dicendum est, nam

retractatum est et a Cicerone, qua erat modestia, ita, ut pro Diogene se ipse substitueret (Parad. IV § 30): „Potes autem esse tu (Clodi) civis, propter quem aliquando civitas non fuit? Et me tuo nomine appellas, cum omnes meo discessu exulasse rem publicam putent?"

At ea philosophantium scriptorum erant et de Cicerone supra vidimus vulgi opinionem tunc aliam fuisse. Sunt tamen quaedam indicia licet posterioris paulo aetatis eam quoque mutatam esse ex aliis quam philosophorum castris. Iuvenalis (XIII 247) loquitur de scopulis frequentibus „exulibus magnis," quod Plinius pluribus declarat (paneg. 35): „Quantum diversitas temporum potest tum maxime cognitum est, cum isdem quibus antea cautibus innocentissimus quisque nunc nocentissimus affigeretur, cumque insulas omnes, quas modo senatorum, iam delatorum turba compleret." Quibus testimoniis fidem facit longa series expulsorum nobilium, quorum nomina apud Tacitum et Dionem implent paginas neque fieri potest quin tot exempla, quorum permagna pars iam ad Caligulae tempora pertinet, effecerint ut sensim evanesceret ignominia.

Hisce omnibus perpensis mihi quidem Ovidii condicio, quod ad ignominiam attinet, fuisse videtur gravior quam aut Ciceronis aut Senecae, quippe cui spes mutationis esset minor quam Ciceroni et quamvis nova lege damnato etiamtum priscorum exulum dedecus perferendum esset, quod aetate Senecae prope iam in honorem abiit.

Caput IV.

DE PATRIA.

Antiquissimis temporibus patria carere exulibus idem significabat atque omni vitae splendore et commodo iam esse privatum: cum religione ius, cum familia opes, cum civitate honores effugerant. Non igitur mirum est, si acre patriae nascitur desiderium atque, illa tantorum munerum auctor si amissa est, velut orbus homo relinquitur, qua de causa patriae amor inter altissimos semper animi affectus fuit. Ille autem amor atavismo quodam, ut nunc loquimur, permansit etiam cum incommoda illa peregrinationis non iam exstabant, cum nulla iam iusta causa erat homini, cur suam alienae terrae praeferret Ita natus est „amor patriae, ratione valentior omni" (Ov. ex P. I 3.29).

Attamen non de eo amore ei qui de patriae desiderio in Cicerone, Ovidio, Seneca agit, dicendum est, nam

perraro ea loca, ubi primo lucem aspexerunt, ipsi commemorant (Cf. p. 7 sq.).

Cicero Arpino suo clarum monumentum posuit de Leg. II 3, ubi praeter amoenitatem et salubritatem aliam quoque causam esse scripsit, quae se Arpini delectaret, nam „haec est mea et huius fratris mei germana patria: hic enim orti stirpe antiquissima sumus; hic sacra, hic genus, hic maiorum multa vestigia.... hoc ipso in loco, cum avus viveret et antiquo more parva esset villa, ut illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum; qua re inest nescio quid et latet in animo ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectet, si quidem etiam ille sapientissimus vir, Ithacam ut videret, immortalitatem scribitur repudiasse." Hic et quando de Mario municipe suo agit, Arpinatem se esse meminit, alias Romanus esse sibi videbatur licet aliis etiam consul maneret „inquilinus civis Romanus" (Sall. Cat. 31). Quam alteram patriam frequenter egregie laudavit. Urbs ei est „domicilium imperii et gloriae (de or. I 105), una in omnibus terris domus est virtutis, imperii, dignitatis (ib. 196), lux orbis terrarum atque arx omnium gentium (Catil. IV 11), nihil in terris Roma melius (de deor. nat. III 21); Romae tam multa geruntur, ut vix ea, quae fiunt in provinciis, audiantur (pro Planc. 63)". Hoc orbis lumen esse iam quaestorius perspexerat, ut lepide iocans narrat pro Plancio 94 sqq.: „Sic tum existimabam, nihil homines aliud Romae nisi de quaestura mea loqui.... At ego cum casu diebus iis itineris faciendi causa decedens e provincia Puteolos forte

venissem, concidi paene, cum ex me quidam quaesisset, quo die Roma exissem et num quidnam esset novi! Cui cum respondissem me e provincia decedere: ‚Etiam mehercule!' inquit, ‚ut opinor, ex Africa'. Huic ego iam stomachans fastidiose: ‚Immo ex Sicilia', inquam. Tum quidam, quasi qui omnia sciret: ‚Quid? tu nescis', inquit, ‚hunc quaestorem Syracusis fuisse?' Quid multa? destiti stomachari et me unum ex iis feci, qui ad aquas venissent!" Quo casu didicit, si Romam sui meminisse vellet, sibi in oculis habitandum esse. Ita clarissimum quidem se reddidit, sed vitam omnem in strepitu fori agens, eius amore adeo astrictus est, ut eo carere postea omnino non posset (Cf. p. 7 sq.). Etiamsi, rebus suis male cedentibus, ruri philosophari se malle profiteretur, pauci dies interiecti plane eum mutabant. Sic anno 59 cum Clodius vehementer eum urgeret, „hominum satietate" (ad Att. II 5.1) motus: nihil iam de republica cogitat (4.4), haec cupit deponere et toto animo atque omni cura φιλοσοφεῖν (5.2), in Antiati suo libris se delectat aut fluctus numerat (6.1), iam pridem gubernare eum taedebat, etiam cum licebat; nunc vero cum cogatur exire de navi, non abiectis sed ereptis gubernaculis, cupit istorum naufragia ex terra intueri (7.4), nihil se est inertius (8.1), philosophum se appellat (12.4) et usque eo est enervatus, ut hoc otio, quo nunc tabescunt homines, malit ἐντυραννεῖσθαι quam cum optima spe dimicare (14.1). At idem ille sapiens quavis epistula amicum adhortatur, ut de rebus publicis quam primum se certiorem faciat et in Formiano suo

relegatus sibi videtur, quod ibi non tam celeriter quam Antii nuntios ex urbe accipiat; dies enim nullus erat, Antii cum esset, quo die non melius sciret, Romae quid ageretur, quam ii, qui erant Romae (11.1). Cum mense Maio cum Theophrasto quiescere vult (16.3) et ἀδιαφορίαν simulat in re civili et publica (17.2), mense Iunio (ep. 18) totus iam denuo machinationibus et certaminibus forensibus deditus est. Videmus igitur verum eum dicere, ubi de Leg. II 5 profitetur ex duabus suis patriis, una naturae, altera civitatis: „caritate eam praestare, qua rei publicae nomen universae civitatis est, pro qua mori et cui nos totos dedere et in qua nostra omnia ponere et quasi consecrare debemus." Nusquam autem apertius locutus est quam cum ex Cilicia a. 50 Caelio scriberet (ad fam. II 12.2): „Urbem, urbem, mi Rufe, cole et in ista luce vive: omnis peregrinatio — quod ego ab adulescentia cognovi — obscura et sordida est iis, quorum industria Romae potest illustris esse." Suae enim, non patriae studet gloriae, ut ingenue confitetur: „male vehi malo alio gubernante quam tam ingratis vectoribus bene gubernare" (ad Att. II 9. 3); „sive ruet sive eriget rem publicam, praeclarum spectaculum mihi propono, modo te consessore spectare liceat" (15.2). —

Eadem erat Ovidii de patriis suis sententia. Sincero amore motus versibus canoris Sulmonem laudat neque originem abnegat:

Hoc quoque composui Paelignis natus aquosis.
(am. II 1 1)

Pars me Sulmo tenet Paeligni tertia ruris,
Parva, sed inriguis ora salubris aquis,
Sol licet admoto tellurem sidere findat,
Et micet Icarii stella proterva canis:
Arva pererrantur Paeligna liquentibus undis.
Et viret in tenero fertilis herba solo.
Terra ferax Cereris multoque feracior uvis,
Dat quoque baciferam Pallada rarus ager,
Perque resurgentes rivis labentibus herbas
Gramineus madidam caespes obumbrat humum.
(ib. 16.1—10).

Mantua Vergilio, gaudet Verona Catullo;
Paelignae dicar gloria gentis ego,
Quam sua libertas ad honesta coegerat arma,
Cum timuit socias anxia Roma manus.
Atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi
Moenia, quae campi iugera pauca tenent,
„Quae tantum" dicat „potuistis ferre poetam,
Quantulacumque estis, vos ego magna voco."
(am. III 15.7—14.)

Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis.
(Tr. IV 10.3.)

Sulmonis gelidi, patriae, Germanice, nostrae.
(Fast. IV 81.)

Gens mea Paeligni regioque domestica Sulmo.
(ex P. IV 14.49.)

Ecce patriae natalis laudes — adoptatam nulla non poetae opera concelebrant: Amores, quatenus non Graeca

sunt in Latinum conversa [1]), adulescentis Romae vita fruentis fata narrant; cuius vitae velut dux sit Ars Amatoria, quae incipit a laude Romae aureae (III 113), urbis, in qua orbis est (I 174), quia

Tot tibi tamque dabit formosas Roma puellas,
„Haec habet," ut dicas, „quidquid in orbe fuit."
(I 55 sq.)

Hilaris huius laetissimaeque vitae desiderium poeta, voluptatum amantissimus, acerbe tulit, sed alia quoque et graviora in mundi dominatrice [2]) suspiciebat, quae iam adulescens carmine celebrare in animo habuerat, cum Amor a rebus seriis eum avocaret (Am. I 1), firmata aetate revera celebravit, primo in Arte Amatoria I 177 sqq., deinde in fine Metamorphoseon, denique in Fastorum libris, quos perficere non potuit (Cf. Trist. II 51—80). Patria, quam exul desiderat, eadem illa Roma est (Tr. II 234, III 3.63, 4^b.53, 8.8, 13.6, IV 2.64; ex P. I 2.14 Cf. p. 8). —

Senecae autem patriam, nisi aliunde (Martial. I 62) edocti essemus, Cordubam esse, vix crediderimus; in tot enim philosophi libris semel tantum de Cordubensibus „nostris" mentio facta videtur (fr. 88 Haase); nam epigramma nonum de exilio omni caret auctoritate. Romam

1) Quod de omnium nequissima elegia III 7 Kaibel statuit (Philodemi Gadarensis epigrammata, Index schol. Gryphisw. p. sem. aest. 1885, Cf. Ehwald in Burs. 43 [1885] p. 173 sq.).

2) a. a. III 114, ubi Brandt cft. Fast. IV 225 Trist. III 7.50, a. a. I 177. Cf. etiam Fast. V 93: caput orbis.

contra, quoad per Neronem licuit (de itinere Aegyptio, quod iuvenis suscepit, vide p. 18), servabat fovebatque, atque eam, non Hispaniam, patriam suam se ducere, eo clare indicavit, quod in Cons. ad H. m. (6.2) vivide concursum ex provinciis, municipiis, coloniis Romam pingens nullo verbo lectorem monet se quoque iam puerum ex iis fuisse, quos ambitio adduxerat. Attamen inde firmum argumentum haurire potuisset, quo demonstraret sibi quidem exilium grave futurum non esse.—

Iam videamus quo abire exules nostri coacti sint.

Cicero, ut supra diximus, legis verbis in certam regionem inclusus non erat sed ex Italia et circumiacentibus terris usque ad quadringenta milia passuum exclusus. Specie igitur ingentes ei patebant fines; accuratius tamen consideranti mirum quantum eos coartari apparet [1]). Galliae Caesaris erant provincia. De Hispania et Africa Cicero ne cogitavit quidem: id ei visum est in mediam barbariam ire. In Siciliam, quorum incolas animo grato sibi fore pro pristino beneficio sperabat, aditum propraetor C. Vergilius abnegavit (pro Plancio 96 [2])). In Graeciam autem ire non poterat propter metum inimicorum quorundam, quorum paratas insidias L. Tubero

1) Cf. Morabin Histoire de l'Exil de Cicéron p. 186 sqq.

2) Smith (Ciceros Journey into Exile p. 83), miratus de ea re nullam mentionem factam esse in epistula III 4 ad Atticum, post verba: „ut mihi ultra quadringenta milia liceret esse" inseri vult: „simul litterae a Vergilio nostro, quibus significabat se nolle me in Sicilia esse."

necessarius, qui fratri legatus fuerat, detulit (pro Planc. 100). Ex quibus P. Autronium Paetum maxime timebat, quem, quamvis sodalem et collegam in quaestura, de vi accusatum, quia inter Catilinarios fuerat, auxilio suo, quod supplex Autronius rogaverat, noluerat iuvare, immo etiam testimonio laeserat. De illo timore saepius in epistulis de exilio scriptis loquitur, quod ne in Epiro quidem ab iis tutum se esse confidit: „si per Epirum iter esset faciendum, tuo tuorumque praesidio uteremur (ad Att. III 1); sine te autem non esse nobis illas partis tenendas propter Autronium (ib. 2); (praedium tuum) ab Autronio et ceteris quadridui (tantummodo iter abest)... castellum munitum habitanti mihi prodesset... quod si auderem, Athenas peterem... nunc nostri hostes ibi sunt (7.1); Achaia prope esset, plena audacissimorum inimicorum, et exitus difficilis haberet, cum inde proficisceremur (8.1); ego volebam loco magis deserto esse in Epiro, quo neque Hispo (alii: Piso) veniret nec milites (ad f. XIV 1.3); cum adventare milites dicentur faciendum nobis erit ut ab eo (Plancio) discedamus (ad Att. III 22.1); Dyrrhachii... sum tuto... cum inimici nostri venire dicentur, tum in Epirum ibo (ad f. XIV 3.4)". Etiam in oratione pro Plancio: „cognovi, id quod audieram, refertam esse Graeciam sceleratissimorum hominum ac nefariorum, quorum impium ferrum ignisque pestiferos meus ille consulatus e manibus extorserat: qui ante quam de meo adventu audire potuissent, cum tamen abessent aliquot dierum viam, in Macedoniam ad Plancium perrexi" (§ 98). Quae cum cura eum sollicitaret,

in Asiam ad fratrem proficisci decrevit: „Nobis iter est in Asiam, maxime Cyzicum (ad Att. III 6); per Macedoniam Cyzicum petebamus (ad f. XIV 4.3); quoniam est Cyzicum nobis eundum (ad Att. III 13.2); nos in Asiam convertemus, neque adhuc stabat, quo potissimum (14.2); an abeam Cyzicum (15.6); Cyzicum aut aliud quid sequemur (16)". Cum tamen frater, qui per triennium Asiam obtinuerat, tum maxime provincia decederet neque eius incolas valde sibi conciliasset, nil nisi intervallum, quo ab inimicis aforet, eam regionem ei commendabat; quod ipsum ingratum erat ei, qui quam celerrime quid Romae ageretur audire gestiebat (Cf. e. g. ad f. XIV 3.4). Itaque Thessalonicae et Dyrrhachii, quamquam lex vetabat, apud Plancium suum mansit. Loci vero naturam non curabat, quod lucem omnino fugiebat (ad Att. III 19.1) et solitudo ei optata erat: „odi enim celebritatem, fugio homines, lucem aspicere vix possum (7.1); ego propter viae celebritatem... non commovi me adhuc Thessalonica; sed iam extrudimur, non a Plancio — nam is quidem retinet —, verum ab ipso loco minime apposito ad tolerandam in tanto luctu calamitatem (ib. 14.2); statuam in tuosne agros confugiam, ut neque videam homines, quos nolim... (15.6); celebritas mihi odio est (19.1); ero cum paucis; multitudinem dimittam (ib.); ego volebam loco magis deserto esse (ad f. XIV 1.3); si offendet me loci celebritas, alio me conferam (ib. 7)". —

O v i d i o multo inhospitabilius erat domicilium. Tomi castellum erat in ultimis imperii Romani finibus tam-

quam praesidium contra barbaros Scythas et Getas ad Istrum positum. Unde iam manifestum est, Ovidii sortem peiorem fuisse quam priorum exulum et poenam severiorem. Ipse scribit:

I nunc et veterum nobis exempla virorum,
Qui forti casum mente tulere refer....
Persequar ut cunctos, nulli datus omnibus aevis
Tam procul a patria est horridiorve locus....
Deque tot expulsis sum miles in exule solus:
Tuta — neque invideo — cetera turba latet.
(ex P. I 3.61 sq., 83 sq.; ib. 8.7 sq.) [1]).

Quod ut melius probet, incommoda loci caelique fuse describit. Vivit „suppositus stellis numquam tangentibus aequor" (Tr. III 10.3 cf. I 5.61: sideribus totis distantia), quod profecto est rem in maius augere, nam Tomorum (castellum situm erat prope eum locum, ubi nunc est urbs Koestendsje [2])) latitudo geographica est circiter 43° 46', Romae 41° 51' (Owen Tr. I p. 60).

Accolae sunt immanes et infesti barbari [3]):

Proxima Bastarnae Sauromataeque tenent.
(Tr. II 198)

1) Cf. Tr. I 5,57 sqq., ex P. I 4.24 sqq., IV 10.9 sqq. et alibi.

2) Owen (Tr. III p. V) nominat „Anadol-Koï near Köstendje," Siebelis-Polle Metamorphosen Einl. p. XVI: Andalkiöi.

3) Revera sub Augusto crebrae incursiones Dacorum, Bastarnarum, Getarum fuerunt (Mommsen Monum. Ancyr.[1] p. 88—89, Owen I p. XXI ann. 2)

Inter Sauromatas.... Getasque.
(III 3.6)

Sauromatae cingunt, fera gens, Bessique Getaeque.
(III 10.5)

Hostis equo pollens longeque volante sagitta
Vicinum late depopulatur humum, etc.
(ib. 55 sqq.)

Sunt circa gentes, quae praedam sanguine quaerunt.
(IV 4.59)

finitimo cinctus premor undique Marte,
Vixque brevis tutos murus ab hoste facit.
(V 2ᵇ.69 sq.)

Est igitur rarus, rus qui colere audeat, isque
Hac arat infelix, hac tenet arma manu.
(V 10.23 sq.)

Hostis adest dextra laevaque a parte timendus,
Vicinoque metu terret utrumque latus.
Altera Bistonias pars est sensura sarissas:
Altera Sarmatica spicula missa manu.
(ex P. I 3.57—60)

Non satis est inter glaciem Scythicasque sagittas
Vivere.
(ib. 7. 9 sq.)

Intra muros quoque maior pars incolarum barbara erat:

Mixta sit haec quamvis inter Graecosque Getasque,
A male pacatis plus trahit ora Getis.
Sarmaticae maior Geticaeque frequentia gentis
Per medias in equis itque reditque vias.
(Tr. V 7.11—14)

Vix ope castelli defendimur, et tamen intus
Mixta facit Graecis barbara turba metum.
Quippe simul nobis habitat discrimine nullo
Barbarus et tecti plus quoque parte tenet.
(ib. 10.27—30)

Quos ut non timeas, possis odisse videndo
Pellibus et longa corpora tecta coma
(ib. 31 sq.)

nam
vix sunt homines hoc nomine digni,
Quamque lupi saevae plus feritatis habent.
Non metuunt leges, sed cedit viribus aequum,
Victaque pugnaci iura sub ense iacent.
(ib. 7.45—48).

Si necessitas cogit, ipse Ovidius ex poeta fit miles:

Nunc senior gladioque latus scutoque sinistram,
Canitiem galeae subicioque meam.
(IV 1 73 sq. cf. ex P. I 8.7 sq. supra p. 94.)

Tales homines, aqua non iucundior, non mitius caelum! Semel atque iterum ea queritur:

Nec caelum patior nec aquis adsuevimus istis.
(Tr. III 3.7)

Unda locusque nocent.
(ex P. I 10.35)

Aequoreo bibitur cum sale mixta palus.
(ib. II 7.74)

Nec tibi sunt fontes laticis nisi paene marini,
Qui potus dubium sistat alatne sitim.
(ib. III 1.17 sq.)

Quin etiam, stagno similis pigraeque paludi,
Caeruleus vix est diluiturque color.
(IV 10.61 sq.)

Aquae bonae inopia hanc ob causam poetam acrius vexabat, quia alio potu raro uteretur:

Nec iuvat in lucem nimio marcescere vino.
(ex P. I 5.45)

Scis mihi quam solae paene bibantur aquae.
(ib. 10.30)

quia nec vinum nec me tenet alea fallax.
(ib. IV 2.41)

Quae ingrata erant homini delicato, cum praesertim debilis esset et plus semel aeger, et iam insenesceret:

Invalidae vires ingenuaeque mihi.
(Tr. I 5.72[1]))

Nec patiens corpus nec mens fuit apta labori.
(ib. IV 10.37)

Morbis saepe vexabatur:

Aeger eram.
(Tr. III 3.2 sqq.)

Ei mihi perpetuus corpora languor habet!
Seu vitiant artus aegrae contagia mentis,
Sive mei causa est in regione mali,
Ut tetigi Pontum, vexant insomnia, vixque
Ossa tegit macies, nec iuvat ora cibus;
Quique per autumnum percussis frigore primo
Est color in foliis, quae nova laesit hiems,
Is mea membra tenet.
(ib. 8.24—31)

---

1) Amorum II 10.23 — quem locum citat etiam Owen ad Tristium l.l. — pro documento esse non posse mihi videtur, cum in carminibus amatoriis Ovidius vulgo Graecos imitatus sit (Cf. p. 89 sq.).

Nam neque sunt vires, nec qui color esse solebat:
Vix habeo tenuem, quae tegat ossa, cutem.
(IV 6.41 sq.)

Perque dies multos lateris cruciatibus uror.
(V 13.5)

Mensque magis gracili corpore nostra valet.
(ex P. I 5.52)

Longus enim curis vitiatum corpus amaris
Non patitur vires languor habere suas....
Membraque sunt cera pallidiora nova.
(ib. 10 3 sq., 28)

Ut amici crederent verebatur, quoniam corpus sufficeret neque mala „duritiam" frangerent:

Mollis et impatiens ante laboris eram,
Ultima nunc patior.
Suffecitque malis animus. Nam corpus ab illo
Accepit vires vixque ferenda tulit.
(Tr. III 2.10 sq., 13 sq.)

Indignata malis mens est succumbere.
(Tr. IV 10.103)

Pone metum, valeo; corpusque, quod ante laborum
Impatiens nobis invalidumque fuit,
Sufficit, atque ipso vexatum induruit usu.
(Tr. V 2.3—5)

Haec ego non ausim, cum sint verissima, cuivis
Scribere, delicias ne mala nostra vocet.
(ex P. I 10.15 sq.)

Ecquos tu silices, ecquod, carissime, ferrum
Duritiae confers, Albinovane, meae?
Gutta cavat lapidem, consumitur anulus usu,
Et teritur pressa vomer aduncus humo.

Tempus edax igitur praeter nos omnia perdit,
Cessat duritia mors quoque victa mea.
(ib. IV 10.3—8)

Neque ea iuveni accidebant, sed viro iam ante exilium senescenti:

Iam mihi canities pulsis melioribus annis
Venerat, antiquas miscueratque comas,
Postque meos ortus Pisaea vinctus oliva
Abstulerat decies praemia victor eques,
Cum maris Euxini positos ad laeva Tomitas
Quaerere me laesi principis ira iubet.
(Tr. IV 10.93—98)

Iam mea cycneas imitantur tempora plumas,
Inficit et nigras alba senecta comas.
Iam subeunt anni fragiles et inertior aetas,
Iamque parum firmo me mihi ferre grave est.
(ib. 8.1—4)

Iam mihi deterior canis adspergitur aetas,
Iamque meos vultus ruga senilis arat....
Confiteor facere hoc annos.
(ex P. I 4.1 sq., 7)

Pessimum tamen supplicium asperitas erat hiemis, de qua mirabilia multa tradit:

1°. Est ubi numquam nix liquescat:

Nix iacet, et iactam ne sol pluviaeque resolvant,
Indurat boreas perpetuamque facit.
Ergo ubi delicuit nondum prior, altera venit
Et solet in multis bima manere locis.
(Tr. III 10.13—16)

.... iners hiemi continuatur hiems.
(ex P. I 2.24)

Fert ubi perpetuas obruta terra nives.
(ib. 3.50)

2°. Boreas tam vehementer flat, ut aedificia alta subvertat et tecta a domibus abripiat:

Tantaque commoti vis est aquilonis, ut altas
Aequet humo turres tectaque rapta ferat.
(Tr. III 10.17 sq.)

3°. Incolae praeter faciem totum corpus pellibus tegunt:

Pellibus et sutis arcent mala frigora bracis,
Oraque de toto corpore sola patent.
Saepe sonant moti glacie pendente capilli,
Et nitet inducto candida barba gelu.
(ib. 19—22)

4°. Vinum in amphoris congelatur:

Nudaque consistunt, formam servantia testae,
Vina nec hausta meri, sed data frusta bibunt.
(ib 23 sq.)

5°. Non solum minores fluvii, sed etiam ipse Ister gelu consistit [1]), tamque crassa glacies est, ut per eam equis plaustrisque vehantur:

Ipse.... Hister congelat.... undas
Frigore concretas ungula pulsat equi:

1) Idem testantur Dio 54.36, Florus IV 12.18: „Daci montibus inhaerent; inde Cotisonis regis imperio, quotiens concretus gelu Danuvius iunxerat ripas, decurrere solebant et vicina populari.

Perque novos pontes subter labentibus undis
Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.
(ib. 27—34)

.... gentes, ubi frigore constitit Hister,
Dura meant celeri terga per amnis equo.
(ex P. I 2.79 sq.)

Ipse vides onerata ferox ut ducat Iazyx
Per medias Histri plaustra bubulcus aquas.
(ib. IV 7.9)

6°. Mare quoque pedibus permeabile evadit:

Vidimus ingentem glacie consistere pontum ....
Nec vidisse sat est; durum calcavimus aequor.
(Tr. III 10.37, 39)

Ipse vides certe glacie consistere Pontum.
(ex. P. IV 7.7)

Mentiar, an coeat duratus frigore Pontus,
Et teneat glacies iugera multa freti.
(ib. 9.85 sq.)

Ut, qua remus iter pulsis modo fecerat undis,
Siccus contempta nave viator eat.
(ib. 10.33 sq.)

E terra vero nullam fere stirpem nasci contendit praeter absinthium:

Non hic pampinea dulcis latet uva sub umbra....
Poma negat regio.
(Tr. III 10.71, 73)

Non ager hic pomum, non dulces educat uvas,
Non salices ripa, robora monte virent.
(ex P. I 3.51 sq. Cf. Tr. III 12.14;
ex P. I 7.13, III 1.13, 8.13 sq.)

Rara neque haec felix, in apertis eminet arvis
Arbor.
(ex P. III 1.19 sq.)

Adde loci faciem nec fronde nec arbore laeti.
(ib. I 2.23)

Hic agri infrondes.
(ib. IV 10.31)

Tristia per vacuos horrent absinthia campos,
Conveniensque suo messis amara loco.
(ib. III 1.23 sq.)

Tristia deformes pariunt absinthia campi,
Terraque de fructu, quam sit amara, docet.
(ib. 8.15 sq.)

Cana prius gelido desint absinthia Ponto ....
(Tr. V 13.21)

Quae cum amicis, quos Romae reliquerat, incredibilia visa sunt:

Qui veniunt istinc, vix vos ea credere dicunt:
Quam miser est, qui fert asperiora fide!
(ex P. IV 10.35 sq.)

eos, qui in „suas" regiones venerunt, obtestatur ut Tiberio principi et aliis persuadeant:

Missus es Euxinas quoniam, Vestalis, ad undas,
Ut positis reddas iura sub axe locis,
Aspicis en praesens, quali iaceamus in arvo,
Nec me testis eris falsa solere queri.
(ex P. IV 7.1—4)

Praefuit his, Graecine, locis modo Flaccus....
Quaere loci faciem Scythicique incommoda caeli.
(ib. 9.75, 81)

Num natura caeli, quae nunc est, eadem esset atque Ovidii temporibus, quantum ego quidem scio, nemo, qui ad Ovidium commentarios scripsit, investigavit praeterquam quod Owen ad Tristia III 10.47 citavit ex diurnis Anglicis a. 1889 de acerrima hieme in urbe Odessa. Attamen fac hodie aliter rem se habere, non perspicio quomodo quis Ovidium, qui aliorum testimonia invocaret et, si nimis immania narraret, risum, non indignationem se moturum esse probe sciret, mendacii arguere potuerit. Utique mirum videri non potest, Ovidium ex quo Tomos venit, numquam desiisse mitiorem et propiorem exilii sedem rogare primum ab Augusto, deinde etiam a Tiberio:

Mitius exilium si das propiusque roganti,
Pars erit ex poena magna levata mea.
(Tr. II 185 sq.)

Tutius exilium pauloque quietius oro.
(ib. 577)

Spes igitur superest facturum, ut molliat ipse
Mutati poenam condicione loci.
(Tr. III 5.53 sq.)

Numinis ut laesi fiat mansuetior ira,
Mutatoque minor sit mea poena loco.
(ib 6.23 sq.)

Ex his me iubeat quolibet ire locis.
Mutato levior sit fuga nostra loco!
(ib. 8.22, 42).

Di facite, ut Caesar non hic penetrale domumque,
Hospitium poenae sed velit esse meae.
(ib. 12.53 sq.)

Mitius exilium pauloque propinquius opto,
Quique sit a saevo longius hoste locus.
(Tr. IV 4 51 sq.)
Quod probet ipse, canam, poenae modo parte levata
Barbariam rigidos effugiamque Getas.
(Tr. V 1.45 sq.)
Contentusque mei iam tandem parte doloris
Exiguum pleno de mare demat aquae . . . .
Quod petimus, poena est, neque enim miser esse recuso,
Sed precor, ut possim tutius esse miser.
(ib. 2.19 sq., 77 sq.)
Forsitan exigua dignus habebor ope
Inque locum Scythico vacuum mutabor ab arcu,
Plus isto, duri, si precer, oris ero.
(ex P. I 1.78—80).
Cum subit, Augusti quae sit clementia, credo
Mollia naufragiis litora posse dari . . . .
Nec tamen ulterius quicquam sperove precorve,
Quam male mutato posse carere loco . . . .
Non petito, ut bene sit, sed uti male tutius, utque
Exilium saevo distet ab hoste meum . . . .
Ut propior patriae sit fuga nostra, roga.
(ib. 2.59 sq., 63 sq., 103 sq., 128).
Terra velim propior nullique obnoxia bello
Detur: erit nostris pars bona dempta malis.
(ib. 8.73 sq.)
Exiguam ne me praedam sinat esse Getarum,
Detque solum miserae mite, precare, fugae . . . .
Sit tua mutando gratia blanda loco . . .
Eximar ut Scythici de feritate loci.
(ex P. II 2.65 sq., 96, 110)

Daque, procul Scythico qui sit ab hoste, locum....
Aut ego me fallo nimioque cupidine ludor,
Aut spes exilii commodioris adest.
(ib. 8.36, 71 sq.)
Non igitur mirum, finem quaerentibus horum
Altera si nobis usque rogatur humus....
Tum pete nil aliud saevo nisi ab hoste recedam.
(ex P. III 1.29 sq., 151)
Effice sit nobis non implacabilis ira,
Meque loco plecti commodiore velit.
(ib. 3.63 sq.)

In illo carmine ex P. III 7 fieri non posse, ut voti compos fiat, contendit:

Cur ego concepi, Scythicis me posse carere
Finibus et terra prosperiore frui?
(29 sq.)

Sed ad Germanicum:

Litora pellitis nimium subiecta Corallis
Ut tandem saevos effugiamque Getas:
Clausaque si misero patria est, ut ponar in ullo,
Qui minus Ausonia distat ab urbe, loco.
(ex P. IV 8.83—86)

Ex P. IV 12 (vs. 36) de salute desperat, neque quomodo Tiberius adeundus sit, se scire dicit (vs. 43—50); ab eo idem atque ab Augusto petere audacius fuisset (43: dicere vix est), sed paulo post ad eundem Tuticanum, ad quem epistula duodecima data est, preces solitas mittit (Quolibet ex istis scilicet ire locis, 14.5). In carminibus 13 et 15, ad Carum et Sextum Pompeium datis, item:

Quanta potes, praebe nostrae momenta saluti,
Quae nisi mutato nulla futura loco est.
(13.49 sq.)
Remque tuam ponas in meliore loco.
(15.22)

Sed Tomi usque ad mortem „penetrale domusque" fuerunt. —

Senecae temporibus praevalebat mos exules in insulam aliquam deportandi. Vulgo parvae et saxosae insulae destinabantur, praecipue Cyclades (cf. Mayor ad Iuven. I 73), sed Corsica quoque inter loca erat, quae ad puniendos damnatos habebantur idonea. „Insula permagna, maximam partem montosa, frequentibus silvis opaca, et quae parvis fluminibus irrigatur" (Diod. V 13) veteribus — longe aliter atque hodiernis hominibus talia valde admirantibus — „terribilis" ([Sen.] epigr. 1) et „horrida" (ib. 2, cons. ad H. m. 6.5) visa est. Praeterea „tenetur a barbaris, quorum alienus nec facilis intellectu sermo est" (Diod. V 14, cf. Sen. cons. ad Polyb. i. f.: „barbarorum inconditus et barbaris quoque humanioribus gravis fremitus"), quorum autem mores laudat alius, alii damnant. Diodorus scribit (l.l.): „Iuste inter se ac humaniter, supra quam omnes alii barbari, vivunt. Nam quae in cavis montium arboribus inveniuntur mella, citra controversiam illorum sunt, qui invenerunt. Ovesque, certis distinctae notis, etiam nemine servante, heris salvae manent. In reliqua etiam vitae administratione iuste agendi normam, suo quique loco, mirifice observant". Strabo contra (V 224) „magis feros ipsis feris" esse

dicit et cum Strabone facit Seneca, querens de „feritate" eorum (ad H. m. 7.8): „quid ad homines immansuetius?" (ib. 6.5). Utrius iudicio maior fides habenda sit, nunc non facile discerni potest, multo tamen verisimilius esse arbitror Diodorum errasse, quippe qui de Sardiniae quoque caeli natura laetiora tradiderit quam testificatur locus ille Taciti (Ann. II 85): „Actum et de sacris Aegyptiis Iudaicisque pellendis; factumque patrum consultum, ut quattuor milia libertini generis ea superstitione infecta, quis idonea aetas, in insulam Sardiniam veherentur, coercendis illic latrociniis et, si ob gravitatem caeli interissent, vile damnum". —

Cicero loci naturam non curabat, dummodo in tuto esset; tempus autem eum defecit ad se ipsum quiete observandum et de patriae desiderio in litteris philosophandum; sed quo minus theoretice de redeundi cupiditate disputat, eo luculentiora testimonia fert epistulis, cogitationes suas nusquam nisi Romae constanter versari. Non tamen urbis tecta, non Italiae placida rura sed fori clamores et matutinae salutationes sunt, quibus caret. Conferatur e. g. ad Att. III 7.2: „Quid enim est quod me retineat (in vita sc.) praesertim si spes ea non est, quae nos proficiscentes prosequebatur?" cum ad Q. fr. I 4.4: „Saepe triduo summa cum gloria dicebar esse rediturus". In vita enim urbana negotia tum tantum se non curare dicit, cum sapientium de iis praecepta modo legit eorumque verba repetit, aut cum aliis consolationem praebere vult, ut P. Nigidio Figulo scribens se ipse miseratur, quod rei publicae mala non solum audit,

quod ipsum est miserum, sed etiam videt (ad f. IV 13.2, cf. IV 3.2, 4.5; VI 1.1, 4.3).

Seneca, cui vita supplicium est (ad Pol. 9.6), tota flebilis (ib. c. 4), nihil aliud quam ad mortem iter (ib. 11.2), cui persuasum est neminem fata convicio, neminem fletu movere posse (ib. 4.1), sapiens ille, qui omnibus clarissimorum ingeniorum monumentis quae ad compescendos moderandosque luctus composita sunt, evolutis (ad H. m. 1.2) profitetur, exilium nihil esse nisi loci commutationem (ib. 6.1), rem minimi momenti, de domicilio temporali iniqua omnia narrat. Corsica aeque deserta et aspera est ac Sciathus, Seriphus, Gyarus (ad H. m. 6.4). „Quid tam nudum inveniri potest, quid tam abruptum undique quam hoc saxum? Quid ad copias respicienti ieiunius? Quid ad homines immansuetius? Quid ad ipsum loci situm horridius? Quid ad caeli naturam intemperantius?" (ib. 6.5) Mare importuosum, caelum grave est, incolae feri sunt (ib. 7.8). „Terra non frugiferarum aut laetarum arborum ferax. Non magnis nec navigabilibus alveis irrigatur. Nihil gignit, quod aliae gentes petant, vix ad tutelam incolentium fertilis" (ib. 9.1). — Qui tam multa improbanda videt in eo loco, quem habitat, exspectaveris eum valde laudare quem reliquit, idque Senecam libentissime facturum fuisse arbitror, nisi in omnibus vitae casibus philosophum se praestare voluisset. Philosopho autem, quem res externas curare minime deceret, non erat, cur prae qualibet alia regione Romam commendaret. Itaque Seneca diligenter Urbis laudes evitavit, nec tamen potuit

quin illam „civitatem veluti communem", epithetis „maximae" et „pulcherrimae" ornaret (ad H. m. 6.4 et 3). —

Ovidius contra ubique sententiam suam aperit. Tomos detestatur:

Tu (Pontica tellus) pessima duro
Pars es in exilio, tu mala nostra gravas.
(ex P. III 1.9 sq.)

Licet ob perpetuam illam vituperationem Tomitani et finitimi populi poetae succensere incipiant:

Talia succensent propter mihi verba Tomitae,
Iraque carminibus publica mota meis.
(ex P. IV 14.15 sq.),

deinde omnem operam dant, ut debitum poetae solvant honorem! Immunitate eum donant:

Exstant decreta, quibus nos
Laudat et immunes publica cera facit.
Conveniens miseris et quamvis gloria non sit,
Proxima dant nobis oppida munus idem.
(ib. 9.101—104)

et vel ut sui poetae tempora laurea vinciunt:

Et placui — gratare mihi — coepique poetae
Inter inhumanos nomen habere Getas.
(ib. 13.21 sq.)

Tempora sacrata mea sunt velata corona,
Publicus invito quam favor imposuit.
(ib. 14.55 sq.)

Quibus muneribus Ovidius hanc reddit gratiam, ut affirmet loca caelumque, non homines odio sibi esse:

Quos ego, cum loca sim vestra perosus, amo....
In loca, non homines, verissima crimina dixi....
....mihi cara Tomis....
Di modo fecissent, placidae spem posset habere
Pacis et a gelido longius axe foret.
(ib. 24, 29, 59, 61 sq.)

At intimo corde Romam, ad „pulcherrimam" (ex P. I 2.81) „dominam" (ib. IV 5.7) semper trahitur,

quae de septem totum circumspicit orbem
Montibus, imperii Roma deumque locus.
(Tr. I 5.69 sq.)

Quaeque capit vastis immensum moenibus orbem.
(ex P. II 1.23).

Optat „Urbe frui" (Tr. IV 8.28), qua nihil melius sit (ex P. I 3.37), sed quam aspicere epistulae soli liceat (Tr. V 4.3), nam, cum ver esse coepit:

Otia nunc istic, iunctisque ex ordine ludis
Cedunt verbosi garrula bella fori.
Usus equi nunc est, levibus nunc luditur armis,
Nunc pila, nunc celeri volvitur orbe trochus,
Nunc, ubi perfusa est oleo labente, iuventus
Defessos artus Virgine tinguit aqua.
Scaena viget, studiisque favor distantibus ardet,
Proque tribus resonant terna theatra foris,
O quater, o quotiens non est numerare, beatum,
Non interdicta cui licet Urbe frui!
(Tr. III 12.17—26)

Ante oculos errant domus, urbsque et forma locorum.
(ib. 4b.57)

Nec tu credideris urbanae commoda vitae
Quaerere Nasonem: quaerit et illa tamen.
Nam modo vos animo dulces reminiscor, amici,
Nunc mihi cum cara coniuge nata subit:
Aque domo rursus pulchrae loca vertor ad urbis,
Cunctaque mens oculis pervidet illa suis.
Nunc fora, nunc aedes, nunc marmore tecta theatra,
Nunc subit aequata porticus omnis humo,
Gramina nunc Campi pulchros spectantis in hortos,
Stagnaque et euripi, Virgineusque liquor.
(ex P. I 8.29—38)

Quamquam totiens queritur, quod sibi „sic urbis misero est erepta voluptas" (ib. 39), poeta raro tantum rura sua, „Paeligno conspicienda solo" (ex P. I 8.42) et hortos ad urbem, quo studiorum gratia secedere (Tr. IV 8.27) et libros suos scribere (Tr. I 11.37) soleret, desiderat, cum Tomis intra portas ei manendum fuit:

Nec quo secedam, locus est: custodia muri
Summovet infestos clausaque porta Getas.
(Tr. III 14.41 sq.)

In omnibus igitur exulibus nostris exemplum invenimus illorum magnarum urbium invitamentorum, quae homines soli natalicii oblitos reddentia alterius patriae maioris desiderium exstingui sinunt numquam; ita ut simulatque „urbis abest facies" (Tr. IV 6.45) omnis vitae splendor ac felicitas effugisse videantur.

CAPUT V.

DE FAMILIA.

In colloquio illo, quod Dio habitum esse finxit inter Ciceronem exulem et Philiscum philosophum, Philiscus contendit se, cum res eo sint loco constitutae, ut Cicero et corpus incolume et animum integrum habeat, non videre, quidnam id sit, quod eum dolore afficiat. Ad quae Cicero: „Itane," inquit, „tibi malum ingens esse non videtur, in ignominia et exilio degere; domo amicorumque consuetudine carere?" (Dio 38.23). Itemque in oratione pro domo (§ 98) inter animi dolores, quibus exules affliguntur, primo loco positum est, quod a complexu suorum distrahuntur. Et nos igitur in rebus privatis tractandis a familia ordiamur aequum est.

De familia Ciceronis ante exilii tempora qualis fuerit, paucissima tantum accipimus: a. 77 Terentiam in matrimonium duxisse videtur; quo anno filia, a. 65 filio quoque auctus est.

Terentia [1]) in historia coniurationis Catilinariae memoratur. Faustum omen ea nocte, quae inter tertium et quartum diem m. Decembris a. 63 intercessit, domi Ciceronis, ubi sacra Bonae Deae celebrabantur, factum Terentia Vestalium iussu consuli nuntiavit (Plut. Cic. 20, Dio 37.35). Negotii quoque, quod Cicero cum P. Sestio habuit, per colloquium particeps fuit (ad f. V 6.1). Quantum ex paucis hisce colligi potest, talis videtur fuisse qualem eam describit Plutarchus (l.l.): „mulier natura neque mitis neque timida, quae teste ipso Cicerone partem potius publici officii eius sibi assumeret quam sui domestici aliquid ei impertiret [2])." Feminae firmam indolem revera interdum mobilem mariti animum ad fortiter agendum incitasse, credibile est. (Si Pseudo-Sallustio [in Cic. 3] fides habenda est, cum Terentia Cicero de re publica consuluit, legis Plautiae iudicia domi fecit, coniuratos damnavit; si Plutarcho [29 sq.], Terentia virum suum in Clodium incitavit, suspicata huius sororem Clodiam operam dare, ut oratorem ad divortium perduceret.) In re familiari autem dos eius non parva (Plut. 8), quam ipsa sedulo administrabat, maximum fuit adiumentum. Ex epistula ad Atticum (II 15.4) apparet eam agros publicos possedisse, qui fortasse idem erant atque saltus, de quo mentio fit ad Att. II 4.5. Maxima igitur fuit utilitas, quam Cicero ex coniugio

---

1) Cf. O. E. Schmidt Cicero und Terentia Neue Jahrb. I (1898) p. 174 sqq.

2) Cf. ad f. XIV 1.1; 2.2 et 3; ad Q. fr. I 3.3 (citat. p. 115).

suo tam opibus [1]) quam necessitudinibus Terentiae (de familia eius vide supra p. 29) percepit, amore vero eius ante exilium incensum eum numquam videmus, ideoque impense miramur, cum exulis ad uxorem epistulas legimus, in quibus effusissimis verbis usus est, ut ardens desiderium „mulieris miserrimae, fidelissimae coniugis (ad Q. fr. I 3.3)" exprimeret [2]): „Ego vero te quam primum, mea vita, cupio videre et in tuo complexu emori (ad f. XIV 4.1). Si te habeo, non mihi videbor plane perisse (ib. 3). A te quidem omnia fieri fortissime et amantissime video (ib. 2.2). Hem, mea lux, meum desiderium, unde omnes opem petere solebant, te nunc, mea Terentia, sic vexari, sic iacere in lacrimis et sordibus (ib.). Mea vita... mihi ante oculos dies noctesque versaris (ib. 3). Valete, mea desideria, valete (ib. 4). Te ista virtute, fide, probitate, humanitate in tantas aerumnas propter me incidisse (ib. 1.1). Ita tibi persuadeas, mihi te carius nihil esse nec umquam fuisse (ib. 3.5)."

Iterum atque iterum eam monet, ut valetudini — qua non firma utebatur antea quoque articulorum doloribus vexata (ad Att. I 5.8) — det operam „mulier aegra et

1) De Terentiae rei familiaris statu exule Cicerone in eo, quod sequitur, capite dicemus.

2) „Les premières lettres (libri XIV ad fam.) sont d'une passion incroyable", Boissier Cic. et ses amis p. 98. Admiratio eo etiam augetur, quod prima iam post reditum epistula ad Atticum (IV 1 8. Cf. 2.7) dissensionem coniugum indicat.

corpore et animo confecta" (ad f. XIV 4.3): „Cura, quod potes, ut valeas (ib. 6); valetudinem istam infirmam, si me amas, noli vexare... omnis labores te suscipere video, timeo, ut sustineas... qua re, ut id quod speras et quod agis, consequamur, servi valetudini (ib. 2.3); mihi ante oculos dies noctesque versatur... infirmitas valetudinis tuae (ib. 3.2); cura, ut valeas (ib. 5)."

Non tamen unius Terentiae sed etiam sua causa valere eam cupit: „In te enim sunt omnia (ad f. XIV 2.3); et litteris multorum et sermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam virtutem et fortitudinem esse teque nec animi neque corporis laboribus defatigari (ib. 1.1); cum sciam magnam partem istius oneris abs te sustineri (ib. 3.5); coniugem me prosequi non sum passus, ut esset, quae reliquias communis calamitatis, communis liberos tueretur (ad Q. fr. I 3.3)." Neque igitur opem eius „aerumnosissimae mulieris Terentiae" mortem sibi consciscendo vult frustrare (ad Att. III 19.2). Sin autem aliqua causa se perdat, Atticum, qui iam saepius Terentiae praesto fuerat et ob eam rem a Cicerone Terentiae nomine gratiarum actiones acceperat (ib. 8.4 et 9.3), orat et obsecrat, ut cum cetera familia uxorem quoque tueatur (19.3) et, quoad poterit, unam omnium aerumnosissimam suis officiis sustentet (23.5). —

Ex Terentia Ciceroni prima nata est T u l l i a, quas „deliciolas" suas (ad Att. I 8.3 et 5.8) tam vehementer amabat, ut de suo in eam amore in oratione scripta et publicata (Verr. II 1.112) iam loqueretur, cum Tullia

septimum agebat annum [1]). Tredecim annos natam C Pisoni Frugi eam despondit (ad Att. I 3.3), cui usque ad mortem eius — obiit autem Cicerone exule — iuncta fuit. Cicero Tulliam, quamvis complures annos iam nuptam, semper „filiolam carissimam" (ad f. XIV 4.6) habet utpote filiam „qua pietate, qua modestia, quo ingenio! effigiem oris, sermonis, animi (sui)!" (ad Q. fr. I 3.3). Itaque sortem, qua illa afflicta est, gravissimam in miseriis suis vehementer conqueritur: „Quid Tulliola mea fiet? iam id vos videte; mihi deest consilium. Sed certe, quoquo modo se res habebit, illius misellae et matrimonio et famae serviendum est (eius doti et famae se absente Cicero timebat. Manutius) (ad f. XIV 4.3). Ad te (Terentia) vero et ad nostram Tulliolam non queo sine plurimis lacrimis scribere; vos enim video esse miserrimas, quas ego beatissimas semper esse volui (ib. 2.1). Tulliolam nostram, ex quo patre tantas voluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus! (ib. 1.1)." Eius quoque causa mortem sibi inferre reformidat: „non deseram .... miserrimae Tulliolae obsecrationem" (ad Att. III 19.2). —

In nonnullis ex locis istis cum filia filius memoratur, quem ipsum quoque ingenti amore prosecutus est. Cum incolumis adhuc esset, Attico plus semel (ad Att. II 9 et 15 i. f.; cf. 7 i. f.) Marci filii verbis salutem nuntiaverat. Natus autem a. 65, cum Cicero patria cessit, annum agebat octavum et „puer venustissimus"

1) Cf. Boissier Cicéron p. 105.

sapientior iam erat quam pater vellet, „sentiebat enim miser iam quid ageretur" (ad Q. fr. I 3.3). De eo, quem vocat „spem reliquam suam" (ad f. XIV 4.6), et de eius futura sorte maxime anxius est: „Quid? Cicero meus quid aget? Iste vero sit in sinu semper et complexu meo (ib. 3). Quid ego de Cicerone dicam? qui cum primum sapere coepit, acerbissimos dolores miseriasque percepit (ib. 1.1)." Etiam opes eius ne pereant metuit, si Terentia aliquid ex suis vendiderit: „Quid, obsecro te, — me miserum! — quid futurum est? ... Per fortunas miseras nostras, vide ne puerum perditum perdamus. Cui si aliquid erit, ne egeat, mediocri virtute opus est et mediocri fortuna, ut cetera consequatur" (ib. 5). —

C. Calpurnius Piso Frugi gener a Cicerone semper laudatur. Quidni? Pro socero Pisoni consuli propinquo suo supplicans a pedibus eius est reiectus (pro Sest. 54) atque quaestor Pontum et Bithyniam prae eius salute neglexit (p. red. in sen. 38). Neque minus laudis inest in epistulis: „Pisonem, ut scribis, spero fore semper nostrum (ad f. XIV 4.4). Me .... Piso noster adhuc Thessalonicae retinet (ad Q. fr. I 4.2). Pisonem nostrum merito eius amo plurimum. Eum, ut potui, per litteras cohortatus sum gratiasque egi, ut debui (ad f. XIV 2.2). Etsi diligenter ad me Quintus frater et Piso quae essent acta scripserant .... (ad Att. III 22.1). Pisonis humanitas, virtus, amor in omnes nos tantus est, ut nihil supra possit. Utinam ea res ei voluptati sit! gloriae quidem video fore (ad f. XIV 1.4).

Pisonem nostrum mirifico esse studio in nos et officio et ego perspicio et omnes praedicant. Di faxint, ut tali genero mihi praesenti tecum simul et cum liberis nostris frui liceat! (ad f. XIV 3.3)." At di non fecerunt; Pisoni fructum pietatis suae neque ex socero neque a populo Romano ferre licuit (pro Sest. 68), non contigit Ciceroni ut vivum eum videret quo neminem studio nec industria maiore cognovisset (Brut. 272). —

Fratrem Quintum iam supra narravimus eo ipso tempore, quo Marcus ex Italia profectus est, de provincia Asia, quam per triennium obtinuerat, decessisse. Administratio eius non sine reprehensione fuerat, et frater ipse neque monitionibus neque improbationibus pepercerat (ad Q. fr. I ep. 1 et 2. Cf. ad Att. II 16.4); Romam reducem accusatio manebat, quae Marci Quintum ex animi sententia diligentis augebat angores: „Nunc istic, quid agatur, magno opere timeo... altera epistula scribis Idibus Maiis audire te fore ut acrius postularetur... itaque cum meus me maeror cotidianus lacerat et conficit, tum vero haec addita cura vix mihi vitam reliquam facit (ad Att. III 8.2); atque ita perturbato sum animo de Quinto, ut nihil queam statuere (ib. 3). Quintus frater cum ex Asia discessisset... valde fuit ei properandum, ne quid absens acciperet calamitatis, si quis forte fuisset, qui contentus nostris malis non esset (ib. 9.1). Mihi etiam unum de malis in metu est, fratris miseri negotium (ib. 3). De Quinto fratre nuntii nobis tristes... sane sum in meo infinito maerore sollicitus et eo magis, quod Appii (Clodii fratris) quaestio

est (ib. 17.1)." Fratrem autem ipsum ut bono animo sit, adhortatur: „Nunc, si potes, id quod ego, qui tibi semper fortis videbar, non possum, erige te et confirma, si qua subeunda dimicatio erit: spero, si quid mea spes habet auctoritatis, tibi et integritatem tuam et amorem in te civitatis et aliquid etiam misericordiam nostri praesidii laturam; sin eris ab isto periculo vacuus, ages scilicet, si quid agi posse de nobis putabis (ad Q. fr. I 3.5). Sin te quoque inimici vexare coeperint, ne cessaris; non enim gladiis tecum, sed litibus agetur (4.5)." Atticum, ut ei praesto sit, rogat: „Quintum fratrem optimum humanissimumque sustenta (ad Att. III 11.2. Cf. 19.3). Quintum fratrem meum fac diligas, quem ego miser si incolumem relinquo, non me totum perisse arbitrabor (ib. 13.2)."

Fratrem Romam festinantem videre non vult, ne luctum conduplicet neve adventum eius retardet, quamquam aliam causam frater suspicatus esse videtur: „Dubitationem autem de Epiro non inconstantia nostra afferebat, sed quod de fratre, ubi eum visuri essemus, nesciebamus; quem quidem ego nec quo modo visurus nec ubi dimissurus sim scio. Id est maximum et miserrimum mearum omnium miseriarum (ad Att. III 7.3). Eum malui properare Romam quam ad me venire, et simul... animum inducere non potui, ut aut illum, amantissimum mei, mollissimo animo, tanto in maerore aspicerem aut meas miserias luctu afflictas et perditam fortunam illi offerrem aut ab illo aspici paterer (ib. 9.1). Vitavi (fratrem), ne viderem, ne aut illius luctum squaloremque aspicerem

aut me, quem ille florentissimum reliquerat, perditum illi afflictumque offerrem (ib. 10.2). Mi frater, mi frater, mi frater, tune id veritus es, ne ego iracundia aliqua adductus pueros ad te sine litteris miserim? Aut etiam ne te videre noluerim? Ego tibi irascerer? Tibi ego possem irasci?... Ego te videre noluerim? Immo vero me a te videri nolui: non enim vidisses fratrem tuum... sed quandam effigiem spirantis mortui (ad Q. fr. I 3.1)."

Ea et quae in eadem epistula sequuntur, pariter commoto animo instincta, demonstrant Ciceronem nimium non fuisse cum fratres dixit esse „amantissimos et coniunctissimos" (ib. § 4), se non solum fratrem desiderare, verum suavitate aequalem, obsequio filium, consilio parentem (ib. 3), de quo etiam ad Atticum scribit: „Quintus frater, homo mirus, qui me tam valde amat, omnia mittit spei plena, metuens, credo, defectionem animi mei" (ad Att. III 18.2) et cui totam suam familiam committit: primo liberos, qui Quinto incolumi orbi non futuri sint, deinde, quasi haesitans, Terentiam: „etiam Terentiam velim tueare" (ad Q. fr. I 3.10). Quae si conferuntur cum ad f. XIV 1.4: „De Quinto fratre nihil ego te accusavi, sed vos, cum praesertim tam pauci sitis, volui esse quam coniunctissimos", suspicionem movent vel aerumnosis illis temporibus inter Terentiam et Quintum fuisse discidium.

Quintum fratris rebus strenue consuluisse apparet ex narratione unius ex pugnis illis forensibus, qua „cum ad fratris salutem a populo Romano deprecandam venisset, pulsus e rostris in comitio iacuit seque servorum et

libertorum corporibus obtexit vitamque tum suam noctis et fugae praesidio, non iuris iudiciorumque defendit" (pro Sest. 76. Cf. Plut. Cic. 33). Praeterea Pompeium adiit, ut pro Marco apud Caesarem ageret, qua occasione spopondisse videtur, nihil hunc, si in patriam reductus esset, contra acta Caesaris esse facturum (ad f. I 9.9). —

Ea de Ciceronis propinquorumque suorum necessitudine sincera, clara, perspicua, necnon ad cognoscendum iucunda sunt; O v i d i i enuntiata, publico destinata meditateque conscripta, caute et prudenter tractanda sunt; nam poetae querelae non fidem veri facere solent, quoniam in carminibus res iniucundae vel minus honestae vulgo obscurantur, mala ea, quae pro locis communibus esse possunt, in maius extolluntur.

Quibus praemissis ea commemoremus quae Ovidius de necessitudinibus suis nobis aperuit.

U x o r, quam tertiam fuisse supra vidimus, in exilium eum comitata non est, quamquam volentem eam se praebuisse ipse affirmat:

„Non potes avelli. simul hinc, simul ibimus" inquit:
„Te sequar et coniunx exulis exul ero.
Et mihi facta via est, et me capit ultima tellus:
Accedam profugae sarcina parva rati.
Te iubet a patria discedere Caesaris ira,
Me pietas. pietas haec mihi Caesar erit."
Talia temptabat, sicut temptaverat ante,
Vixque dedit victas utilitate manus.

(Tr. I 3.81—88. Cf. I 2.41 infra laud.)

De eius in se amore autem alibi [1]) aliter sentit, modo laudat, modo vituperat:

Amorem suum in eam profitetur:

> O bene, quod non sum mecum conscendere passus,
> Ne mihi mors misero bis patienda foret!
> At nunc, ut peream, quoniam caret illa periclo,
> Dimidia certe parte superstes ero.
> (Tr. I 2. 41—44)

> Omnia cum subeant, vincis tamen omnia, coniunx
> Et plus in nostro pectore parte tenes.
> Te loquor absentem, te vox mea nominat unam;
> Nulla venit sine te nox mihi, nulla dies.
> Quin etiam sic me dicunt aliena locutum,
> Ut foret amenti nomen in ore tuum.
> Si iam deficiam, suppressaque lingua palato
> Vix instillato restituenda mero,
> Nuntiet huc aliquis dominam venisse, resurgam,
> Spesque tui nobis causa vigoris erit.
> (Tr. III 3.15—24)

Romam aspicere vult, domum suam, sodales,

> Caraque praecipue coniugis ora meae.

(ib. 8.10; cf. 11.15: coniuge cara, V 14 2: o mihi me coniunx carior).

In somniis se eam videre dicit:

> ... ubi decipior melioris imagine somni,
> ... modo cum cara coniuge multa loquor.
> (ex P. I 2.47, 50 Cf. Tr. III 3.18 supra laud.)

et revisere cupere:

1) Datae ad uxorem sunt Tr. I 6; III 3; IV 3; V 2; 5; 11; 14; ex P. I 4; III 1 et Tr. I 6.25 sqq.; 10.69 sqq.; ex P. I 2.136 sqq.; III 1.75 sqq.; Ibis 15 sq. (Güthling, Fasti etc. Index p. 343 sq.).

> Te quoque, quem iuvenem discedens urbe reliqui,
> Credibile est nostris insenuisse malis.
> O! ego, di faciant, talem te cernere possim,
> Crebraque mutatis oscula ferre genis
> Amplectique meis corpus non pingue lacertis
> Et „gracile hoc fecit" dicere „cura mei",
> Et narrare meos flenti flens ipse labores,
> Sperato numquam colloquioque frui.
> (ex P. I 4. 47—54)

Laudat coniugem ut piam (Tr. I 2.37), amantem (ib. 3.17), quae dolore victa mori voluerit (ib. 99) et auxilium, quo absentem sublevet (ib. 101 sq.), libens impendat, inimicum illum, quem Ovidius sub nomine Ibidis perstrinxit, a poetae bonis arcuerit:

> Siquid adhuc ego sum, muneris omne tui est.
> Tu facis ut spolium non sim, nec nuder ab illis,
> Naufragii tabulas, qui petiere mei.
> Utque rapax stimulante fame cupidusque cruoris
> Incustoditum captat ovile lupus....
> Sic mea nescio quis, rebus male fidus acerbis,
> In bona venturus, si paterere fuit.
> Hunc tua per fortis virtus summovit amicos.
> (Tr. I 6. 6—15; cf. Ib. 15 sq.)

Poetae miserrimo tunc igitur feminae officiosa voluntas magnum adhuc est solatium:

> Coniugis ante oculos, sicut praesentis, imago est.
> Illa meos casus ingravat, illa levat:
> Ingravat hoc, quod abest; levat hoc, quod praestat amorem
> Impositumque sibi firma tuetur onus.
> (Tr. III 4[b]. 59—62)

In primis Tristium libris nondum de fide et amore uxoris dubitat; paulo tamen post non aeque securus est. Iam III 3 ponit fieri posse, ut sui obliviscatur:

Ergo ego sum dubius vitae, tu forsitan istic
Iucundum nostri nescia tempus agis?

(25 sq.)

utque non tantopere atque antea sortem mariti curet:

Ecquid, ubi audieris, tota turbabere mente,
Et feries pavida pectora fida manu?
Ecquid, in has frustra tendens tua bracchia partes,
Clamabis miseri nomen inane viri?

(47—50)

sed statim metum reicit:

Non agis; adfirmo, liquet hoc, carissime, nobis,
Tempus agi sine me non nisi triste tibi.

(27 sq.)

Nunc, si forte potes, — sed non potes, optima coniunx —
Finitis gaude tot mihi morte malis.

(55 sq.)

At IV 3 affectus sonos iam non amplius sentimus sinceros. Iam pietatis fiducia non eadem mansit; sidera rogat, ut feminae acta observent sibique referant, utrum sui memor sit necne. Paucis versibus quibus se sine causa timere sibi persuaderet interiectis

(Ei mihi, cur timeo? quae sunt manifesta, requiro!
Cur iacet ambiguo spes mea mixta metu?
Crede, quod est et vis, ac desine tuta vereri,
Deque fide certa sit tibi certa fides,

Quodque polo fixae nequeunt tibi dicere flammae,
Non mentitura tu tibi voce refer:
Esse tui memorem, de qua tibi maxima cura est,
Quodque potest, secum nomen habere tuum.

[11—18])

melius fore dicit si mortuus iam esset:

Atque utinam lugenda tibi non vita, sed esset
Mors mea, morte fores sola relicta mea!

(39 sq.)

non enim necesse esset uxorem sui pudere:

Denique, ut et vixi, sine crimine mortuus essem.
Nunc mea supplicio vita pudenda suo est.

(47 sq.)

quod nunc factum est:

Me miserum, si tu, cum diceris exulis uxor,
Avertis vultus et subit ora rubor!
Me miserum, si turpe putas mihi nupta videri!
Me miserum, si te iam pudet esse meam!...
Tempus ubi est, quo te — nisi non vis illa referri —
Et dici, memini, iuvit et esse meam?

(49—56)

At ut multos ipsum infortunium claros reddidit, sic miseram sortem suam coniugi occasionem praebere dicit gloriae aeternae acquirendae eo quod a Nasone celebrata sit eius pietas:

Sed magis in curam nostri consurge tuendi,
Exemplumque mihi coniugis esto bonae,
Materiamque tuis tristem virtutibus imple:

Ardua per praeceps gloria vadit iter . . .
Dat tibi nostra locum tituli fortuna, caputque
Conspicuum pietas qua tua tollat habet.
(71—74, 81 sq.. Cf. V 14, ex P. III 1.57 sqq. etc.)

Tali modo quis credet maritum adhortari uxorem, quam unice fidelem piamque sibi futuram confidat? Quamquam non dubitat, quin adhuc fidem servaverit:

Nec te credideris, quia non facis, ista moneri!
Vela damus, quamvis remige puppis eat.
Qui monet, ut facias, quod iam facis, ille monendo
Laudat et hortatu comprobat acta suo.
(V 14.43—46)

Acer et ad palmae per se cursurus honores
Si tamen horteris, fortius ibit equus.
(ex P. II 11.21 sq.)

Sponte quidem per seque mea est laudabilis uxor,
Admonitu melior fit tamen illa tuo.
(ib. 13 sq.)

Attamen magis etiam laxata amoris vincula videbimus. Licet ea quae feminae in Tristibus (V 2.33—40) obiciuntur:

Hinc ego traicerem, — neque enim mea culpa cruenta est —
Esset, quae debet, si tibi cura mei . . .
Quid dubitas et tuta times? . . .
Me miserum! quid agam, si proxima quaeque relinquunt?
Subtrahis effracto tu quoque colla iugo?

censenda sint a poeta esse conficta (Wölffel Ovid's Klaglieder p. 2042) — inserta scilicet ut levior fieret transitio ad ipsius Augusti allocutionem —, nullo modo negari potest lentitudinem eius improbari et in locis modo laudatis et in hisce:

Quid facias, quaeris? quaeras hoc scilicet ipsum:
Invenias, vere si reperire voles.
Velle parum est: cupias, ut re potiaris, oportet . . . .
Pectore te toto cunctisque incumbere nervis
Et niti pro me nocte dieque decet . . . .
Exigit hoc socialis amor foedusque maritum:
Moribus hoc, coniunx, exigis ipsa tuis.
Hoc domui debes, de qua censeris, ut illam
Non magis officiis quam probitate colas . . . .
Nota tua est probitas testataque tempus in omne:
Sit virtus etiam non probitate minor.
(ex P. III 1. 33—35, 39 sq., 73—76, 93 sq.)

Nec gravis uxori dicar: quae scilicet in me
Quam proba, tam timida est, experiensque parum.
(ib. 7. 11 sq.)

Mariti admonitionibus uxor numquam satisfecisse videtur, nihil saltem a poeta tale accipimus. De reliqua eius vita nihil habemus compertum. —

Ex altera uxore Ovidio filia [1]) nata erat, cuius nomen — ob metricam fortasse causam [2]) — siletur. Bis nupsit atque ex utroque marito liberos peperit:

Filia me mea bis prima fecunda iuventa,
Sed non ex uno coniuge fecit avum.
(Tr. IV 10. 75 sq.)

1) Vide Wölffel Ovid's Klaglieder p. 1980 et 2039, Owen I p. XVII—XIX, 45 et quos citant.
2) Vide Owen l.l.

Alter [1]) autem vir fuit Fidus Cornelius senator, quem Seneca (de const. sap. 17.1), „in senatu flentem vidit, cum illum Corbulo struthocamelum depilatum dixisset." Cornelium, in provincia Africa, quae senatoria erat, officio aliquo, fortasse proconsulatu, fungentem, uxor comitata esse videtur. nam quo tempore Ovidius in exilium profectus est,

> **Nata procul Libycis aberat diversa sub oris,**
> **Nec poterat fati certior esse mei.**
> (Tr. I 3.19 sq.)

Exuli ut feminae et amicorum, sic filiae quoque imago interdum ante oculos stat:

> **Nunc mihi cum cara coniuge nata subit.**
> (ex P. I 8.32)

Qui tamen locis supra laudatis unus accedit, quo filiae mentionem ab exule factam videamus, nam Fast. VI 219 sqq.:

> **Est mihi — sitque, precor, nostris diuturnior annis! —**
> **Filia, qua felix sospite semper ero etc.**

ante inflictum malum scriptos esse puto. —

Praeter filiam et uxorem Ovidius privignam habebat, quam filiae loco amabat — Suillio Rufo nuptam:

1) Alterum, non priorem, fuisse computatione temporum comprobatur. Siquidem Ovidii filia a. 8 in Africa cum Cornelio et a. 11 — quo anno carmen Tr. IV 10 conscriptum est — ex duobus coniugibus fecunda fuit, non verisimile est, tam exiguo temporis intervallo tot mutationes vitae eius factas esse, quot factas necesse esset, si cum priore marito in Africa fuisset.

> **Nam tibi (Suillio) quae coniunx, eadem mihi filia paene est,**
> **Et quae te generum, me vocat illa virum.**
> (ex P. IV 8.11 sq.)

Suillium autem hunc, nobili loco natum, qui quaestor Germanici erat, Ovidius in illa epistula rogat, ut apud principem iuvenem pro se, qui ei paene soceri loco sit, verba faciat. Postea delator factus et a Tiberio et a Nerone in exilium pulsus est (Tac. A. IV 31, XIII 43; Owen I p. XVII). —

Cetera familia Ovidiana, de qua quidem aliquid cognovimus, constat ex avunculo uxoris tertiae, cui gratias agit, quod feminam suam admonuerit ne lenta esset:

> **Sponte quidem per seque mea est laudabilis uxor:**
> **Admonitu melior fit tamen illa tuo.**
> (ex P. II 11.13 sq.)

Nomen ei Rufus et Fundis oriundus erat:

> **Maxima Fundani gloria, Rufe, soli.**
> (ib. 28). —

Cognatio porro intercedebat inter tertiam Ovidii coniugem et Paulum Fabium Maximum, quia uterque ex gente Fabia erat („ille ego, de vestra cui data nupta domo est" ex P. I 2.136). Uxor eius Marcia Ovidii uxoris a primo aevo dilecta comes erat (ib. 137 sq.), poeta contra Fabium non ut familiarem sed ut patronum et fautorem alloquitur. —

Senecae mater qualis esset, uxorem eum duxisse, ex ea duos filios natos esse supra iam scripsimus. Alter brevi antequam pater in exilium ivit, mortuus est:

„Intra vicesimum diem, quam filium meum in manibus et osculis tuis mortuum funeraveras, raptum me audisti" (ad H. m. 2.5); alter, educationis fortasse gratia, apud aviam remansit: „Respice (ad) Marcum blandissimum puerum, ad cuius conspectum nulla potest durare tristitia e.q.s." (ib. 18.4—6). Praeter illum Helviae filio auctore solatia erant fratres Lucii cum filiis suis, Novatilla, neptis Lucii, sed quam filiae fere loco habuerat; uxorem vero ex tota sua familia solam non nisi obiter nomine non dicto memorat, ut matrem Marci, cui quicquid dolendum fuit, in se transire vult, ut ipse solum domus piamentum sit. Quae verba èt demonstrant eam neque mortuam neque infidam, èt — quod plura non sunt — non valde caram fuisse marito. Hanc opinionem confirmant alii loci duo, qui de uxore Senecae priore aliquid nobis tradunt. De Ira III, qui libellus secundum Gerckium (Seneca-Studien p. 287 sq.) inter annos 44 et 48 scriptus est, uxorem mortuam his verbis prosequitur: „Cum sublatum e conspectu lumen est et conticuit uxor moris mei iam conscia, totum diem meum scrutor factaque ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo. Quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cum possum dicere: vide ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco. In illa disputatione pugnacius locutus es. Noli postea congredi cum imperitis: nolunt discere, qui numquam didicerunt. Illum liberius admonuisti quam debebas. Itaque non emendasti, sed offendisti. De cetero vide, non tantum an verum sit quod dicis, sed an ille cui dicitur veri patiens sit. Admoneri bonus gaudet: pessimus quisque rectorem asperrime patitur" (36.3 sq.). Clare audimus hominem se ipsum vituperantem quod feminam incultiorem fortasse durius castigaverit neque satis se praestiterit patientem. Confessio illa et expressa paenitentia ea sunt, quibus melius Seneca amorem nostrum sibi conciliet quam disputationibus suis philosophicis. Hic enim hominem, non rhetorem aut sapientem, semper — si ipsi fides — sibi constantem, cognoscimus (Cf. Gercke p. 288). Mollities tamen illa non eadem permansit. Ubi postea de aliqua re quae ad priorem uxorem pertinet, loquitur — quod semel tantummodo facit — longe diversus sermo est: „Harpasten, uxoris meae fatuam, scis hereditarium onus in domo mea remansisse" (ep. 50.2). Licet exilia ea sint, hoc certe constat ex l.l. (de Ira III 36) hanc feminam Senecae patria carenti praesidium solatiumque non fuisse. —

Familia Romana servos quoque amplectebatur; his igitur addere liceat, quae de exulum nostrorum servis nota nobis sunt.

Exilii temporibus a Cicerone hi aut servi aut liberti commemorantur: Clodius Philetaerus, homo fidelis, quem „quod valetudine oculorum impediebatur," remisit; Sallustius, qui „officio vincit omnes"; Pescennius, qui „est perbenevolus nobis, quem semper spero tui (Terentiae) fore observantem" (ad f. XIV 4.6); inter fidelissimos etiam Aristocritus et Dexippus fuisse videntur, per quos Terentia Ciceroni et Cicero Terentiae epistulas mittebat (ad f. XIV 3.1,3,4) et Orpheus (v. infra).

Quae autem statuerat de servis suis et Terentiae, Cicero Terentiae rogatu scribit ad f. XIV 4.4: „De familia liberata, nihil est quod te moveat. Primum tuis ita promissum est, te facturam esse, ut quisque esset meritus; est autem in officio adhuc Orpheus (eum scilicet secum in exilium duxerat), praeterea magnopere nemo. Ceterorum servorum ea causa est, ut, si res a nobis abisset, liberti nostri essent, si obtinere potuissent; sin ad nos pertinerent, servirent praeterquam oppido pauci." Etiam hic igitur Ciceronem quamvis propriis malis vexatum clementiae et humanitatis plenum videmus in eos, quorum salutem ei fortuna mandaverat. Nota est eius apud Atticum excusatio quod morte servi dilecti in scribendo conturbatior esset (ad Att. I 12.4: puer festivus, anagnostes noster, Sositheus decesserat meque plus quam servi mors debere videbatur, commoverat). —

Ovidium et Senecam utrum servi comitati sint necne, nescimus; de illo verisimile est, de hoc nil certum: Ovidius enim omnia sua bona, ergo servos quoque suos, retinebat quorum nonnullos eum secum Tomos duxisse statuere licet ex Tr. I 3.9: „Non mihi servorum, comites non cura legendi." Bonis publicatis Senecae nulla restabat in servos auctoritas. Fieri tamen potest, ut voluntarii quidam ei comites fuerint, ut qui perhumane cum servis suis viveret (ep. 47). Idem de Ovidio non sine causa licet praedicare, quem proficiscentem servi flentes circumstarent ita ut domus Troiae captae instar esset:

Femina virque meo, pueri quoque funere maerent,
Inque domo lacrimas angulus omnis habet.

Si licet exemplis in parvis grandibus uti,
Haec facies Troiae, cum caperetur, erat.
(Tr. I 3.23—26)

Itaque quod ad servos pertinet, eadem fere triadis nostrae fuit condicio.

CAPUT VI.

DE RE FAMILIARI.

Romani nobiles, longe aliter atque hodierni, de re pecuniaria non in occulto solum sed etiam palam agere solebant. In epistulis Cicero frequentissime rem tangit, non ita tamen ut quovis tempore summa bonorum eius effici possit. Quod mirum non est, quia ne ipse quidem plerumque sciebat, quantum possideret: rem scilicet gerebat cum permultis, pecunia aliis mutua data, ab aliis accepta. Patrimonium ei minor pars erat rei familiaris (Dio 38,20.3), quae quibus modis creverit, difficile dictu est. Dio (l.l.) fortasse rem acu tetigit contendens, eum plerasque facultates lingua orationibusque peperisse; nam, quamquam lege Cincia sancitum erat, ne quis dona aut munera ob causam orandam caperet, nullo modo impediri potuit, ne quis patrono, si aliter fieri non posset, per testamentum gratiam

referret. Ciceronem quoque aliquam fortunarum partem sic sibi paravisse verisimillimum est. Quamquam huius coniecturae argumentum non est illa de libris a L. Papirio Paeto Ciceroni datis narratio (Cf. Drumann VI 382, Boissier Cic. p. 87), nam „there is no evidence that Cicero ever acted as advocate for Papirius. So the remark may be merely playful — a coincidence of name in the friend of Atticus recalling the old Law (Tyrrell ad Att. I 20.7)" [1]). Non tamen uni clientes qui fuerant, sed etiam homines vix et ne vix quidem noti viris in re publica primoribus legare solebant. Hereditatibus Cicero ipse dicit se amplius sestertium ducentiens acceptum rettulisse (Phil. II 40), hoc addens neminem nisi amicum heredem se fecisse; quod autem premendum non est: difficile enim est ad credendum amicos fuisse, quorum ne nomina quidem dicere operae pretium iudicaret, cum legata ab iis accepisset (ad f. VII 2.1, ad Att. XI 2.1, Drum. VI 383). Ille fons videtur fuisse uberrimus ex quo Cicero hausit, ut sumptibus suis saepe effusis satisfaceret, ne nostris quidem moribus damnandus, ipsius vero temporibus plane honestus. Est tamen alia via qua Cicero ad pecuniam conquirendam usus est, quam viam mores

1) Quae Gellius narrat de mutuis a P. Sulla acceptis sestertium viciens, quibus domum in Palatio emeret, si comparas cum ad Att. I 13.6, fide indigna videntur (Cucheval I p. 290 ann. 1, Schmidt Briefe Ciceros I Text p. 36). Conferenda etiam sunt ad f. V 6.2: „emi .... domum .... itaque nunc me scito tantum habere aeris alieni, ut cupiam coniurare."

nostri damnant et ipse tamquam ignominiosam abscondere studuit. Negotium Antonianum dico, quo partem praedae, quam raptum ibat ille qui antea in consulatu collega fuerat, sibi pepigisse et post longum tempus accepisse videtur: „Libertum ego habeo sane nequam hominem, Hilarum dico, ratiocinatorem et clientem tuum. De eo mihi Valerius interpres nuntiat, Thyillusque se audisse scribit haec: esse hominem cum Antonio; Antonium porro in cogendis pecuniis dictitare partem mihi quaeri et a me custodem communis quaestus libertum esse missum. Non sum mediocriter commotus neque tamen credidi, sed certe aliquid sermonis fuit. Totum investiga, cognosce, perspice et nebulonem illum, si quo pacto potes, ex istis locis amove (ad Att. I 12.2). Teucris illa lentum negotium est, sed tamen est in spe (ib. 13.6). Τεύκρις promissa patravit (ib. 14.7)." Quod quamquam nos Cicerone indignum ducimus, aequalibus non aeque turpe visum est, qui Brutum admirati sint etiam postquam eius gratia in Cypro oves non tonderi sed deglubi evulgatum est (ad Att. VI 1.3—8). Neque Ciceroni causa erat cur, si ab Antonio ex provincia quaedam acciperet, socium depilatoris se putaret, nam ipse quoque licet integerrime provinciam administrasset, ex Cilicia „ad sestertium bis et viciens" (ad Att. XI 1.2) sibi comparavit. Omnibus hisce consideratis facere non possumus, quin Marcum sincerum iudicemus ubi Quinto fratri se iactat „ipso genere pecuniae beatissimum" (ad Q. fr. I 3.6). Quid autem Drumannum permoverit (VI 381—382), ut quasi

incriminans diceret, eum ducendis uxoribus se ditasse, hoc addens „und mit der ersten Gemahlinn war er sehr lange verbunden" equidem non intellego. Tota matrimonii historia, cum praesertim divortium iam instaret, luce clarius indicat, inter coniuges communionem bonorum non exstitisse et Terentiam res suas per procuratorem suum Philotimum administrasse neque, nisi summa necessitate coactam, viro quidquam impertiisse (Cf. Schmidt N. J. I p. 175, 180). Ceterum de rei familiaris historia plura Drumann disseruit (VI 382—401), qui in hac re plus etiam quam alibi iniquum in Ciceronem prodit animum, nec non Brückner, Boissier, Schmidt: nos quae ad exilii tempus pertinent recensebimus.

Cum aqua et igni Ciceroni interdictum est, e lege bona eius publicata sunt (Dio 38, 17. 6). Clodius eo poenam reddidit graviorem, quod domum tamquam bostis publici solo aequavit, aream — ut olim Manlianae domus — consecravit, villas — „ocellos Italiae" (ad Att. XVI 6.2) — diruit. Quae mala cum Ciceronem acri dolore afficerent, tum eo tempore molestissima erat pecuniae praesentis inopia. Nam magna pars rei familiaris cum constaret ex rebus, quae moveri non possent, nulla data vendendi facultate ad usum nihil proficiebat. Variis igitur modis facultates sibi comparare opus fuit. Pecuniam Quinto fratri cibaria in tertium provinciae annum destinatam iam ante damnationem sibi enumerandam curaverat, interposita cum quaestoribus de genere nummorum dissensione („Scripsi ad quaestores

urbanos de Quinti fratris negotio: vide, quid narrent, ecquae spes sit denarii an cistophoro Pompeiano iaceamus [ad Att. II 6.2]. Quaestores autem, quaeso, num etiam de cistophoro dubitant? Nam si aliud nihil erit, cum erimus omnia experti, ego ne illud quidem contemnam, quod extremum est [ib. 16.4]"). Magnam partem erogaverat, qua quosdam corrumpere conatus esse videtur ut Romae manere posset. Quod superat secum asportavit et expendit, quod scribit ad fratrem (I 3.7): „Qua re quid ad me scripsisti de permutatione? Quasi vero nunc me non tuae facultates sustineant, qua in re ipsa video miser et sentio quid sceleris admiserim, cum tu de visceribus tuis et filii tui satis facturus sis quibus debes, ego acceptam ex aerario pecuniam tuo nomine frustra dissiparim." Partem vero debitoribus fratris donarat, reliqua ad se verterat: „Sed tamen et M. Antonio, quantum tu scripseras et Caepioni tantumdem solutum est; — mihi ad id, quod cogito, hoc, quod habeo, satis est; sive enim restituimur, sive desperamus, nihil amplius opus est." Non tamen exul egebat, quia et res familiaris et fides Attici, C. Ateii Capitonis, C. Rabirii Postumi (pro Rabir. 47, vid. cap. de amicis) ei praesto erant: „Notae tibi sunt varietates meorum temporum. In omni genere et honorum et laborum meorum et animus et opera et auctoritas et gratia, etiam res familiaris, C. Capitonis praesto fuit et paruit et temporibus et fortunae meae" (ad f. XIII 29.2). „Quod facultates tuas ad meam salutem polliceris, ut omnibus rebus a te praeter ceteros iuver, id quan-

tum sit praesidium, video intellegoque te multas partis meae salutis et suscipere et posse sustinere neque, ut ita facias, rogandum esse" (ad Att. III 20.2). Nepos (Attic. 4) etiam narrat Atticum Ciceroni „ex patria fugienti sestertium ducenta et quinquaginta milia donasse", de quo dono Cicero silet.

Ipsius inimici rebus deletis Clodius feminam aggressus est, fortasse suspicatus eam possidere et retinere quae revera Ciceronis essent [1]). Ante tribunal iure iurando eam adegit, sua esse, quae secum haberet. (Haec interpretatio unica est quam intellegere possum.) „Ego maximo cum fletu legi, quem ad modum a Vestae ad tabulam Valeriam ducta esses. Hem, mea lux, meum desiderium, unde omnes opem petere solebant, te nunc, mea Terentia, sic vexari, sic iacere in lacrimis et sordibus! Idque fieri mea culpa, qui ceteros servavi, ut nos periremus!" (ad f. XIV 2.2). Terentia vero animo obfirmato haud quidquam sibi eripi passa est. Cum autem reditus ageretur mariti, sumptibus non pepercit neque dubitavit quidem praedia sua vendere, ut pecuniam haberet praesentem, qua exulis causam iuvaret. Cicero vehementer restitit sollicitus de vitae condicione quae filio suo futura esset, si post perditam suam fortunam Terentiae quoque dilapidata esset res

1) Non video cur verum esse non possit eam consulto sua dixisse quae Ciceronis erant, ne perirent. Si quid conicere licet, discidium post reditum inter coniuges natum ita explicare possis ut suspiceris Terentiam bona, quae sua dixisset, sua manere maluisse.

familiaris: „Illud doleo, quae impensa facienda est, in eius partem te miseram et despoliatam venire. Quod si conficitur negotium, omnia consequemur; sin eadem nos fortuna premet, etiamne reliquias tuas misera proicies? Obsecro te, mea vita, quod ad sumptum attinet, sine alios, qui possunt, si modo volunt, sustinere (ad f. XIV 2.3). Quod ad me, mea Terentia, scribis te vicum vendituram, quid, obsecro te, — me miserum! — quid futurum est? et si nos premet eadem fortuna, quid puero misero fiet? Non queo reliqua scribere — tanta vis lacrimarum est —, neque te in eundem fletum adducam; tantum scribo: si erunt in officio amici, pecunia non deerit; si non erunt, tu efficere tua pecunia non poteris (ib. 1.5)." In qua re recensenda memores simus in summis miseriis, quae maxime hominum animos ad obrussam exigunt, et patrem filii et uxorem mariti amore permotos ea condonasse, quae uterque summa sibi putaret: oratorem spem recuperandae gloriae, Terentiam nimium pecuniae amorem quod vitium in ea maximum erat.

Plus etiam quam facultates Cicero domum amissam conquerebatur, quam paucis annis ante grandi pecunia emerat (ad f. V 6.2: emi . . . domum HS. XXXV.): „In universa salute, si ea (area sc. Tyrrell) modo nobis restituetur, inerunt omnia, ex quibus nihil malo quam domum (ad Att. III 20.2). Quod de domo scribis, hoc est de area, ego vero tum denique mihi videbor restitutus, si illa nobis erit restituta (ad f. XIV 2.3)." Palatina scilicet habitatio insigne ei dignitatis videbatur et

nobilitatis, qua amissa denuo homo novus sibi visus est. Opes autem exilio, si non funditus perditas, attamen graviter imminutas esse, quod per se iam intellegitur, Cicero dicit ad Att. IV 3.6: „re familiari comminuti sumus". —

Ovidium narravimus fratre mortuo heredem ex asse factum esse patris, qui censum senatorium possidebat, id est, quod minimum erat, decies sestertium; filius enim lato clavo ornatus est:

Induiturque umeris cum lato purpura clavo.
(Tr. IV 10.29)

Cum nusquam vestigia occurrant hoc patrimonium dissipatum fuisse atque verisimile sit tertiam saltem uxorem unde familiam sustentaret habuisse (numquam enim maritus exul de eius vitae condicione sollicitus videtur, cum suis fortunis imminet periculum), ante exilium poeta pauper non erat. Bona autem, quod ad decretum perniciosum principis attinebat, salva erant, nam relegatis secundum primam Augusti institutionem (supra p. 77) iura civilia relinquebantur. Itaque dum deportatus nondum fuit, Ovidio rebus suis nihil timendum erat. At paulo postquam in exilium missus est, delator, quem Ibin Ovidius appellat, operam dare coepit, ut etiam bona adimerentur. Quod illum fecisse Merkel (Prol. ad Ibin p. 396 sq.) fortasse recte suspicatur ratione ea inita, „ut accusationem legitimam lege maiestatis minaretur. Hoc probant

Meque reum dempto fine cruentus agas;

Solvat et in mores ora diserta meos;
(Tr. III 11.2, 20.)

Quae tibi res animos in me facit improbe?
(Tr. V 8.3)

Iactat et in toto nomina nostra foro;
(Ibis 14)

Latrat et in toto verba canina foro.
(Ib. 232)

Fecisse id autem potest... lucri cupiditate sive perpetuis minis suis ab Ovidii uxore et amicis silentii mercedem extorquere studuit, sive, quod hodie ignoramus, leges Iuliae maiestatis paulo post Ovidii relegationem introductae praeter illa de accusando novata, quae legimus Digg. 48.4, 7, etiam accusatori praemium et partem bonorum damnati addixerint; probare hoc videtur versus

Nec mihi detractas possidet alter opes;
(Tr. IV 4.46)

Tac. Ann. I 74 [a. 15 p. Chr. n.: Granium Marcellum, praetorem Bithyniae, quaestor ipsius Caepio Crispinus maiestatis postulavit, subscribente Romano Hispone; qui formam vitae iniit, quam postea celebrem miseriae temporum et audaciae hominum fecerunt], II 32 [a. 16: Bona (Scribonii Libonis, crimine molitarum rerum novarum accusati) inter accusatores dividuntur]. Utut est, illas leges, quas Tiberii imprimis instinctu latas paene certum est, animum addidisse Ibidi putaverim aliquid in Ovidium minandi, parandi, et, si opus esset, audendi. Nimirum lex Iulia posterior, quae perduellionem a maiestatis crimine distinxit, illam saltem aquae et

ignis interdictione vindicavit. Ovidius, qui sine iudicio relegatus fuit, dubium non est, quin perduellionis reus fieri denuo et lege Iulia bonis privari potuisset. Ipse:

Quid loquor a! demens? ipsam quoque perdere vitam,
Caesaris offenso numine, dignus eram.
(Tr. V 10.51 sq.)

Vides non eum ignorasse, quid patri illi patriae, vel eius vicario Tiberio, vel denique iis, quibus hic faveret, lege Cornelia in se licuisset."

Hactenus Merkel. Ibin conata perficere non potuisse cum loco a Merkelio citato (Tr. IV 4.46) demonstrant versus:

Cuius (Cottae sc) eram censu non me sensurus egentem,
Si Caesar patrias eripuisset opes!
(Tr. IV 5 7 sq.)

Omnia, si nescis, Caesar mihi iura reliquit.
(ib. 9.11)

Nec mea concessa est aliis fortuna.
(Tr. V 2.57)

Nam, quod opes teneat patrias, quod nomina civis,
Denique quod vivat, munus habere dei.
(ib. 4.21 sq.)

Nec vitam nec opes nec ius mihi civis ademit.
(ib. 11.15)

Qui nostras inopes noluit esse vias.
(Ibis 24)

Addita (a Sexto Pompeio) praeterea vitae quoque multa tuendae
Munera, ne proprias attenuaret opes.
(ex P. IV 5.37 sq.)

Feminam in defendendis mariti rebus rem bene gessisse supra iam dictum est, neque amici, de quibus infra exponam, eum destituerunt. Maior igitur pars opum exuli conservata est, quamquam eas iter Tomos et comitum fraus in itinere attenuarunt:

Nec tibi de Pario statuam, Germanice, templum
Marmore: carpsit opes illa ruina meas.
(ex P. IV 8.31 sq.)

Quid referam comitumque nefas famulosque nocentes?
Ipsa multa tuli non leviora fuga.
(Tr. IV 10.101 sq.)

Recta fides comitum poterat mala nostra levare;
Ditata est spoliis perfida turba meis.
(ex P. II 7.61 sq.)

Itaque pauperem se dicere potuit, comparatione scilicet cum statu priore instituta, cum coniugis quoque facultates ei praesto essent:

Fortuna est impar animo, talique libenter
Exiguas carpo munere pauper opes.
(ex P. IV 9.121 sq.),

verumtamen inter mala, quae Ovidius perpessus est, egestas non fuit, et in hac quidem re Cicerone et Seneca fuit felicior. —

De opibus Senecae ante exilii tempus hoc unum notum est, matrem patrimonium eius satis amplum (nam locupletem se ipse appellat) administrasse et auxisse: „Tu filia familiae locupletibus filiis ultro contulisti. Tu patrimonia nostra sic administrasti, ut tamquam in tuis laborares, tamquam alienis abstineres"

(ad H. m. 14.3). — In exilii causis aperiendis licet Seneca parcus sit admodum, sunt tamen quae dubitationem mihi iniecerint, an vulgata opinio (Diepenbrock p. 58 sq.), Senecam bona non amisisse, falsa esset. Supra iam (p. 22 ann. 1) probare conati sumus Senecam a delatore invido expulsum esse. Id genus hominum numquam gratis officia sua praestitisse et semper in bona rei involasse tota imperatorum historia evincit neque est, cur arbitremur in causa Senecae non ita factum esse. Sed alia argumenta esse videntur firmiora. Ad matrem scribens in paupertate nihil mali esse, de se haec addit: „Quod ad me quidem pertinet, intellego me non opes, sed occupationes perdidisse" (ad H. m. 10.2). Polybium tamquam usu expertus admonet: „Mihi crede, is beatior est, cui fortuna supervacua est, quam is, cui parata est. Omnia ista bona, quae nos speciosa sed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia aliaque complura, ad quae generis humani caeca cupiditas obstupescit, cum labore possidentur, cum invidia conspiciuntur eosdemque ipsos quos exornant, et premunt. Plus minantur quam prosunt" (ad Pol. 9.5). Cum gratias agit Claudio pro mitigato supplicio, tantum de vita data loquitur, silet de bonis concessis: „Deprecatus est pro me senatum et vitam mihi non tantum dedit, sed etiam petiit" (ib. 13.2). Coniecturae non adversatur quod in Epigrammatis (1.7) et a Scholiasta ad Iuvenalem (V 109) „relegatus" appellatur, nam relegatis quoque bona interdum dempta esse — etiamsi ad tempus pulsi essent — docent Digesta XLVIII 22.7, 4:

„Ad tempus relegatis neque tota bona neque partem adimi debere rescriptis quibusdam manifestatur, reprehensaeque sunt sententiae eorum, qui ad tempus relegatis ademerunt partem bonorum vel bona, sic tamen, ut non infirmarentur sententiae, quae ita sunt prolatae." Ergo mihi quidem persuasum est, Senecae rem familiarem publicatam esse; verumenimvero hanc ob causam Corsicae eum sine asse fuisse et iis rebus, quae ad vitam sustentandam necessariae sunt, caruisse non credo, nam ipse, ut opinor, de se alia praedicat: „Me quidem quotiens ad antiqua exempla respexi, paupertatis uti solatiis pudet, quoniam quidem eo temporum luxuria prolapsa est, ut maius viaticum exulum sit, quam olim patrimonium principum fuit" (ad H. m. 12.4). Quae tamen non prohibent, quin fuse de exulum paupertate philosophetur!

Cum Seneca rediit, bona ei reddita sunt, ut Agrippinae et Iuliae Gaio mortuo (Dio 60.4; Suet. Nero 6) vel saltem damnum pensatum est, nam statim in magno denuo fuit splendore.

CAPUT VII.

DE AMICIS ET INIMICIS.

Et saeculi mores et virorum condiciones diversae fecerunt ut quam maximum inter Ciceronis, Ovidii, Senecae amicos inimicosque esset discrimen. Cicero in re publica libera nullo se inferiorem putabat itaque tantummodo a paribus auxilium impetravit atque tamquam hostes, non tyrannos, inimicos suos odit; neque quisquam fuit quem aut leges aut unius arbitrium vetaret ne Ciceronis amicum se profiteretur. Ab amicis autem exspectat, ut pecunia se iuvent cum ad rem familiarem tuendam tum ad suffragia populi et gladiatorum manus emenda, quibus modis rem suam in melius redigerent; inclinatis enim partium studiis reditum effici posse putabat. Quae secum sentiret de amicorum in se animo, morae impatiens et ignominia sibi illata exacerbatus, in epistulis ad Atticum, ad Terentiam, ad Quintum enuntiavit; quae post reditum publice

de animo suo grato innotescere volebat, in orationibus legimus; quae revera illi praestiterint ex temporum historia, partim ab ipso Cicerone obiter tradita, novimus. Ovidio, quamvis minime ignobili loco nato, longe alia condicio erat. Illi neque in re publica gerenda ulla auctoritas erat neque spes ulla salutis nisi ex unius principis misericordia. Hanc igitur ut captent amicos monet, qui tyrannorum metu nondum orto ex parte saltem fideles poetae permanserunt et post paucorum annorum intervallum litteras ab infelici exule nominatim datas nemo fere recusabat. Epistulae, partim ad eos datae, quorum „nomina magna" poetae exitio fuerunt, sed quibus praesertim spes eius nititur, partim ad sodales, a quibus auxilium non exspectat, sed amicum animum (Cf. Owen I p. XXIX), omnes in publicum proditurae erant; facile igitur intellectu est, laudes in iis multo maiorem habere locum quam vituperationes, has autem, ubi inferuntur, verbis lenissimis esse expressas. Non omnino tamen eas abesse et Ovidio et aequalibus „non ultima laus est," Senecae vero saeculo minime tribuenda, cum vana etiam species veritatis libertatisque evanuisset neque quisquam inveniretur quin si exulis amicus audiret periculum sibi metueret. Non igitur honor ille, quem ab Ovidio subinde petebant, ut epistula poetica celebrarentur, Senecae amicis tutus fuisset. Itaque Seneca nomina etiam — solius Crispi fortasse excepto — reticet atque fere credas versa fortuna amicos ad unum omnes eum destituisse, nisi Martialis unius amici memoriam conservasset, qui principis iram nil curans Senecam exulem comitatus est, ut postea ipsum exulantem Q. Ovidius:

Maximus ille tuus, Ovidi, Caesonius hic est;
Cuius adhuc vultum vivida cera tenet.
Hunc Nero damnavit: sed tu damnare Neronem
Ausus es et profugi, non tua, fata sequi.
Aequora per Scyllae magnus comes exulis isti:
Qui modo nolueras consulis ire comes.
Si victura meis mandantur nomina chartis,
Et fas est cineri me superesse meo:
Audiet hoc praesens, venturaque turba: fuisse
Illi te, Senecae quod fuit ille suo.

(Martial. VII 43),

Facundi Senecae potens amicus,
Caro proximus, aut prior Sereno,
Hic est Maximus ille quem frequenti
Felix littera pagina salutat.

(ib. 44.1—4).

Ex hisce epigrammatis comperimus Caesonium Maximum Senecae amicum non solum exulanti carissimum fuisse, sed etiam postea ad eum datas esse permultas epistulas, quae publicatae magnam notitiam consecutae sint. Ceterum de Caesonio (aut Caesennio v. Nipperdey ad Tac. A. XV 71) Maximo multum novi non discimus; quae Martialis dicit de familiaritate Maximi et Senecae aliquatenus confirmantur a Tacito, qui eum ut conscium Pisonianae coniurationis Italia prohibitum scribit (l.l.) et ab ipso Seneca, qui narrat (ep. 87.2) in itinere quodam „Maximum suum" sibi comitem fuisse, quem eundem fuisse atque Caesonium Maximum non nimis

de animo suo grato innotescere volebat, in orationibus legimus; quae revera illi praestiterint ex temporum historia, partim ab ipso Cicerone obiter tradita, novimus. Ovidio, quamvis minime ignobili loco nato, longe alia condicio erat. Illi neque in re publica gerenda ulla auctoritas erat neque spes ulla salutis nisi ex unius principis misericordia. Hanc igitur ut captent amicos monet, qui tyrannorum metu nondum orto ex parte saltem fideles poetae permanserunt et post paucorum annorum intervallum litteras ab infelici exule nominatim datas nemo fere recusabat. Epistulae, partim ad eos datae, quorum „nomina magna" poetae exitio fuerunt, sed quibus praesertim spes eius nititur, partim ad sodales, a quibus auxilium non exspectat, sed amicum animum (Cf. Owen I p. XXIX), omnes in publicum proditurae erant; facile igitur intellectu est, laudes in iis multo maiorem habere locum quam vituperationes, has autem, ubi inferuntur, verbis lenissimis esse expressas. Non omnino tamen eas abesse et Ovidio et aequalibus „non ultima laus est," Senecae vero saeculo minime tribuenda, cum vana etiam species veritatis libertatisque evanuisset neque quisquam inveniretur quin si exulis amicus audiret periculum sibi metueret. Non igitur honor ille, quem ab Ovidio subinde petebant, ut epistula poetica celebrarentur, Senecae amicis tutus fuisset. Itaque Seneca nomina etiam — solius Crispi fortasse excepto — reticet atque fere credas versa fortuna amicos ad unum omnes eum destituisse, nisi Martialis unius amici memoriam conservasset, qui prin-

cipis iram nil curans Senecam exulem comitatus est, ut postea ipsum exulantem Q. Ovidius:

Maximus ille tuus, Ovidi, Caesonius hic est;
Cuius adhuc vultum vivida cera tenet.
Hunc Nero damnavit: sed tu damnare Neronem
Ausus es et profugi, non tua, fata sequi.
Aequora per Scyllae magnus comes exulis isti:
Qui modo nolueras consulis ire comes.
Si victura meis mandantur nomina chartis,
Et fas est cineri me superesse meo:
Audiet hoc praesens, venturaque turba: fuisse
Illi te, Senecae quod fuit ille suo.

(Martial. VII 43),

Facundi Senecae potens amicus,
Caro proximus, aut prior Sereno,
Hic est Maximus ille quem frequenti
Felix littera pagina salutat.

(ib. 44.1—4).

Ex hisce epigrammatis comperimus Caesonium Maximum Senecae amicum non solum exulanti carissimum fuisse, sed etiam postea ad eum datas esse permultas epistulas, quae publicatae magnam notitiam consecutae sint. Ceterum de Caesonio (aut Caesennio v. Nipperdey ad Tac. A. XV 71) Maximo multum novi non discimus; quae Martialis dicit de familiaritate Maximi et Senecae aliquatenus confirmantur a Tacito, qui eum ut conscium Pisonianae coniurationis Italia prohibitum scribit (l.l.) et ab ipso Seneca, qui narrat (ep. 87.2) in itinere quodam „Maximum suum" sibi comitem fuisse, quem eundem fuisse atque Caesonium Maximum non nimis

audacter commentatores coniecerunt. Praeterea in epigrammate sexto ex iis, quae Senecae exulanti ascribuntur, scriptor cum singulari amoris nota loquitur de Crispo quodam, amico fideli, potenti, eloquenti, eloquentibus avo et patre digno:

Solus honor nobis arx et tutissima nobis
Et nunc afflicto sola quies animo.

Fieri potest, ut Crispus hic sit C. ille Passienus Crispus, a. 44 consul iterum, sub Claudio maritus Agrippinae et ab ea, ut fertur, sub eodem principe veneno necatus. Quod si verum est (negat Lipsius in annotatione ad epigramma, aiunt Borghesi et Nipperdey [ad Tac. A. VI 20]), videmus quam artum fuerit vinculum inter Agrippinam et philosophum, quem postea summis honoribus auxit. Carmen in honorem Crispi post exilium in lucem editum esse verisimile non est, si fides habenda est narrationi de Crispo ab uxore dolose interfecto; potest tamen a Corsica privatim ad eum missum esse ut nonnullae Ovidii epistulae. Familiaritas autem, quae apparet in sermone erga Crispum, alicui fortasse pro argumento esse possit, illum, cui cum marito sororis Livillae tanta amicitia esset, cum ipsa revera commisisse adulterium, cuius accusatus est. At haec sunt audaciora itinera in vastum coniecturarum mare! De Senecae amicis mihi quidem plura invenire non licuit. —

Ciceroni, utpote patrono celeberrimo et in rebus publicis versatissimo, omnis fere homo, qui quidem in re publica alicuius momenti erat, ante exilii tempora aut socius fuit aut adversarius. Hos inimicos, illos amicos

nominare solebat, sed verum amicum per eos annos unum Atticum ei fuisse, res est notissima. Hic tamen ei unus erat pro centum milibus (Cf. ad Att. II 5.1). Amicitiam illam nullae neque publicae neque domesticae dissensiones, neque morum neque facultatum diversitas conturbavit, nulla vituperatio, nulla officii recusatio umquam labefactavit, nullum Ciceronis periculum Atticum, quamvis securitati suae consulentem, permovere potuit, ut eius commercii vincula abrumperet. Neque exilium ea mutavit. Illis suis temporibus, quibus optime benevolentiam hominum et fidem perspicere potuit (cf. ad f. XIII 60.1), Cicero in Attico officium nullum desideravit. Pecunia, auxilium, consilium, domicilium eius aderant, si opus erat: „Quod facultates tuas ad meam salutem polliceris, ut omnibus rebus a te praeter ceteros iuver, id quantum sit praesidium video intellegoque te multas partes meae salutis et suscipere et posse sustinere neque, ut ita facias, rogandum esse" (ad Att. III 20.2). Tu me, ut facis, opera, consilio, gratia iuva (11.2). Ut relevares me, quod facis (6.3). Si ad nos veneris, consilium totius rei capiemus (ib. ep. 2). Quod me rogas et hortaris, ut apud te in Epiro sim, voluntas tua mihi valde grata est et minime nova (7.1).... me potissimum tuis tectis crederem (15.7). Familiae quoque Ciceronis subsidio erat, quam totam ei exul commendaverat, ut testantur loci, quos supra (p. 115 et 119) citavimus. Totus denique, quoad per suam a vita publica abstinentiam licebat, erat in tuendo Cicerone, sed, ut est animus doloris ac morae

impatiens et, ad opperiendum nihilominus damnatus, iniustus et nimia concupiscens, Tullius aut non recte ea aestimabat, aut, quod nulla in re felix sibi videri volebat, de iis queritur. Obiurgantem amicum ut firmior sit, non patitur, ut Attici dolor verus sit veretur, fidem etiam accusat (licet neget se hoc facere), credit non vera sibi narrari: „Nam quod me tam saepe et tam vehementer obiurgas et animo infirmo esse dicis, quaeso, ecquod tantum malum est, quod in mea calamitate non sit?... Hic utrum tandem sum accusandus, quod doleo, an, quod commisi, ut haec aut non retinerem, quod facile fuisset, nisi intra parietes meos de mea pernicie consilia inirentur, aut certe vivus non amitterem? Haec eo scripsi, ut potius relevares me, quod facis, quam ut castigatione aut obiurgatione dignum putares (ad Att. III 10.2 sq.). Obiurgare vero noli, quod cum facis, ut ego tuum amorem et dolorem desidero! quem ita affectum mea aerumna arbitror, ut te ipsum consolari nemo possit (ib. 11.2). Hic tu me accusas, quod me afflictem, cum ita sim afflictus, ut nemo umquam, quod tute intelligis (12.1). Quod me saepe accusas, cur hunc meum casum tam graviter feram, debes ignoscere, cum ita me afflictum videas, ut neminem umquam nec videris nec audieris (13.2). Nos aliquando aut obiurgare aut comiter consolari desine (15.7 cf. ib. 1)."

„Tantum te oro, ut, quoniam me ipsum semper amasti, ut eodem amore sis; ego enim idem sum. Inimici mei mea mihi, non me ipsum ademerunt (ep. 5). Ut ego tuum amorem et dolorem desidero! (11.2)."

„Multa occultant tuae litterae, credo, ne vehementius desperatione perturber (15.6). Tuae quidem litterae, quo saepius a me leguntur, hoc spem faciunt mihi minorem, quod, cum lectae sunt, tum id, quod attulerant ad spem, infirmant, ut facile appareat te et consolationi servire et veritati; itaque te rogo plane, ut ad me, quae scis, ut erunt, quae putabis, ut putabis, ita scribas (ep. 16). Tuae litterae variae sunt: neque enim me desperare vis nec temere sperare (18.2)."

Lenius iudicat, cum „coeptum est agi": „Me tuae litterae numquam in tantam spem adduxerunt, quantam aliorum; at tamen mea spes etiam tenuior semper fuit quam tuae litterae" (19.2).

Verum in hac re pleraque docent III 15 et IV 1. In illa postquam acerbe iocans [1]) dixit amicos sibi probatos esse debere, Attico si essent (§ 2; cf. ep. 8.4: „cuius enim scelere impulsi ac proditi simus, iam profecto vides, atque utinam iam ante vidisses neque totum animum tuum maerori mecum simul dedisses!"), consilium, quod antea is dederat, damnat specie se ipse, re amicum perstringens: „Profecto, si, quantum me amas et amasti, tantum amare deberes ac debuisses, numquam esses passus me, quo tu abundabas, egere consilio, nec esses passus mihi persuaderi utile nobis esse legem de collegiis perferri [2]). Sed tu tantum la-

1) Ita Hofmann-Sternkopf, p. 85; Tyrrell de sanitate loci dubitat.

2) Lacour-Gayet de P. Clodio p. 38: „Magnam illud nobis admirationem injicit M. Tullium eo simplici animo fuisse ut, horae

crimas praebuisti dolori meo, quod erat amoris, tamquam ipse ego; quod meritis meis perfectum potuit, ut dies et noctes, quid mihi faciendum esset, cogitares, id abs te meo, non tuo scelere praetermissum est.... Hic mihi ignosces; me enim ipsum multo magis accuso, deinde te quasi me alterum" (§ 4).

Apertius in iis, quae sequuntur, loquitur: „Nunc, Pomponi, quoniam nihil impertisti tuae prudentiae ad salutem meam.... Ego si tuam fidem accusarem, non me potissimum tuis tectis crederem; meam amentiam accuso, quod me a te tantum amari, quantum ego vellem, putavi. Quod si fuisset, fidem eandem, curam maiorem adhibuisses, me certe ad exitium praecipitantem retinuisses, istos labores, quos nunc in naufragiis nostris suscipis, non subisses" (§ 7).

Quae cum viro miserrimo et desperanti condonanda sint, minus ignosci potest, eum etiam post laetum reditum vituperationibus non temperasse: „Cognoram enim, ut vere scribam, te in consiliis mihi dandis nec fortiorem nec prudentiorem quam me ipsum nec etiam propter meam in te observantiam nimium in custodia salutis meae diligentem" (ad Att. IV 1.1).

Melius utique ea reticuisset, quamquam excusationem qualemcumque fortasse invenire possumus, si cum

etiam momento, sibi persuaderi hanc de collegiis legem ipsi profuturam esse passus fuerit, quum nullum aliud aptius Ciceronis perniciei reipublicaeque ruinae instrumentum potuerit a P. Clodio excogitari."

B o o t i o sic ratiocinamur: „Non molesta est haec officii neglecti exprobratio, si cogitamus Ciceronem nunc amico scribere, quomodo exul de eo iudicasset. Indicatur hoc plusquamperfecto c o g n o r a m.... Mitigatur autem exprobrationis acerbitas iis, quae statim addit de opera ab Attico ad suum reditum conficiendum collata" („eundemque te, qui primis temporibus erroris nostri aut potius furoris particeps et falsi timoris socius fuisses, acerbissime discidium nostrum tulisse plurimumque operae, studii, diligentiae, laboris ad conficiendum reditum meum contulisse").

Sed fac iniusta crimina verum Ciceronis animum indicasse, non tamen iis amicitia collabefacta est et ex toto tertio libro ad Atticum clare apparet, Ciceroni nihil tantopere defuisse quam ipsum illum, quocum omnia, quae se cura afficerent, communicaret, qui se diligeret, qui saperet, quocum ex animo loqueretur, cui nihil fingeret, nihil dissimularet, nihil obtegeret (Cf. ad Att. I 18.1).

Atticum Cicero amicum tam certum firmumque sibi sciebat, ut ne momentum quidem de eius iuvandi voluntate dubitaret et, si Atticus non ea perpetraret, quae ipse fieri vellet, eum perficere non potuisse iudicaret, noluisse numquam; de ceteris vero, quos sibi amicos putaverat, aliter sentiebat. Plerosque invidia incitatos in summo discrimine se destituisse neque reditum suum velle, indignabundus saepe confirmat.

Invidiam eorum, „quibus omnia populi Romani beneficia dormientibus deferuntur" in Verr. V 180—184 iam commemorarat, neque postea umquam impugnare

desiit, cum praesertim ipse homo novus rei publicae conservatae gloriam adeptus esset: „In senatu cum disputarem permultos esse, qui rem publicam a me conservatam dolerent (ad f. V 2.1)". Pompeius „occulte invidet (ad Att. I 13.4)". „Missus est sanguis invidiae sine dolore (ib. 16.11). Ego autem, ut semel Nonarum illarum Decembrium iunctam invidia ac multorum inimicitiis eximiam quandam atque immortalem gloriam consecutus sum, non destiti eadem animi magnitudine in re publica versari... Deinde vidi... beatos homines — hos piscinarios dico, amicos tuos — non obscure nobis invidere (19.6). Mihi vero ut invideant piscinarii nostri, aut scribam ad te alias aut in congressum nostrum reservabo (20.3). Quin etiam, si mihi nemo invideret, si omnes, ut erat aequum, faverent, tamen non minus esset probanda medicina, quae sanaret vitiosas partes rei publicae, quam quae exsecaret (ib. II 1.7)".

Ante exilium, cum sibi videretur „nostrum illum consularem exercitum bonorum omnium habere firmissimum (ad Att. II 19.4 a. 59)", si manus dedisset triumviris, ne optimatibus invisus fieret, verebatur — opinans scilicet, se consulatu bene gesto etiam in posterum eos sibi conciliasse — : „sunt enim illi apud bonos invidiosi, ego apud improbos meam retinuissem invidiam, alienam assumpsissem (ibid.)".

Per exilii autem tempora cum iam perspexisset, se ne resistentem quidem eorum gratiam sibi acquisivisse, saepe queritur in tantas se calamitates incidisse scelere non tam inimicorum quam invidorum: „Non faciam, ut

enumerem miserias omnes, in quas incidi per summam iniuriam et scelus non tam inimicorum quam invidorum (ad Att. III 7.2). Nos non inimici sed invidi perdiderunt (ib. 9.2)". (Ironice ad fratrem): „scilicet... tua me invidia, ac non ego te misere perdidi (ad Q. fr. I 3.1)" „Intimus, proximus, familiarissimus quisque aut sibi pertimuit aut mihi invidit (ib. 4.1). Nam quid sperem... infidelibus amicis, plurimis invidis? (ib. § 2) Nam quod purgas eos, quos ego mihi scripsi invidisse, et in eis Catonem, ego vero tantum illum puto ab isto scelere afuisse, ut maxime doleam plus apud me simulationem aliorum quam istius fidem valuisse (ad Att. III 15.2). Ab iis me amari putabam, qui invidebant (ad f. XIV 1.1). Invidi paene omnes (ib. 3.2)."

Non solum invidiam in pristinis amicis sed etiam proditionem et scelus deprehendit: „Ego, quid sperem, non dispicio, cum inimici plurimum valeant, amici partim deseruerint me, partim etiam prodiderint, qui in meo reditu fortasse reprehensionem sui sceleris pertimescant (ad Q. fr. I 3.5). Ego iis, quibus meam salutem carissimam esse arbitrabar, inimicissimis crudelissimisque usus sum, qui, ut me paulum inclinari timore viderunt, sic impulerunt, ut omni suo scelere et perfidia abuterentur ad exitium meum (ad Att. III 13.2). Te oro et obsecro, T. Pomponi, si me omnibus amplissimis carissimis iucundissimisque rebus perfidia hominum spoliatum, si me a meis consiliariis proditum et proiectum vides.... ut me tua misericordia iuves (ib. 19.3). Si fides eorum, quibus credidimus, non defuisset! (20.1).

Sine alios, qui possunt, si modo volunt, sustinere (ad f. XIV 2.3). Quod si nostris consiliis usi essemus neque apud nos tantum valuisset sermo aut stultorum amicorum aut improborum, beatissimi viveremus (ib. 1.2)."

Post reditum quoque eandem illam opinionem quando a pluribus auditur retinuit: „Cum vero in hanc rei publicae navem, ereptis senatui gubernaculis fluitantem in alto tempestatibus seditionum ac discordiarum, armatae tot classes, nisi ego essem unus deditus, incursurae viderentur, cum proscriptio, caedes, direptio denuntiaretur, cum alii me suspicione periculi sui non defenderent, alii vetere odio bonorum incitarentur, alii inviderent, alii obstare sibi me arbitrarentur, alii ulcisci dolorem aliquem suum vellent, alii rem ipsam publicam atque hunc bonorum statum otiumque odissent et ob hasce causas tot tamque varias me unum deposcerent.... (pro Sest. 46). Intellectum est non mihi absenti crevisse amicos, in ea praesertim fortuna, in qua nonnulli etiam, quos esse putaveram, non erant (ib. 69). Iecit quidam casus caput meum.... in mediam contentionem dissensionemque civilem; quo in discrimine.... non dicam quid acciderit — multorum est enim et varia culpa —, tantum dicam brevi, non mihi exercitum sed duces defuisse. In quo, ut iam sit in iis culpa, qui me non defenderunt, non minor est in iis, qui reliquerunt, et, si accusandi sunt, si qui pertimuerunt, magis etiam reprehendendi, si qui se timere simularunt (ad f. I 9.13)".

Cum autem amico scribit, confitetur fuisse qui se

defendissent, quamquam iam eos auxilii paenitere videretur. (Optimates fuisse debent adversarii triumvirorum, quibus Cicero redux servit): „Iam quidam, qui nos absentes defenderunt, incipiunt praesentibus occulte irasci, aperte invidere (ad Att. IV 1.8)". —

Iam videamus, quae ex Ciceronis verbis de singulis familiarium personis, de eorum in se, de suo in eos animo, discere possimus. Ab eo ordiemur, quem cum dudum saeculi sui virum primarium existimasset, Cicero postea acerbe percensuit, cui nihilominus confisus est nimis, — a Pompeio.

Temporibus legis Maniliae a. 66, cum Cicero aeque ac Pompeius popularibus favebat, immanibus laudibus „singularem eximiamque virtutem (de imper. Cn. Pomp. 3)" eius extulit, ad quem tot tantasque res di immortales detulissent, quot et quantas nemo umquam ab dis immortalibus vel tacitus optare auderet (Cf. ib. 48). Quamquam iam a. 65 illum ab Attico permoveri necesse fuit, ne Ciceroni competitorem consulatus opponeret (ad Att. I 1.2), etiam consul Cicero omnibus ducibus anteposuit Pompeium „cuius res gestae atque virtutes isdem quibus solis cursus regionibus ac terminis continentur" (Cat. IV 21). Admiratio autem illa sensim minuta est, cum Cicero se optimatibus consociaret, Pompeius ab iis non satis laudaretur. Iam statim post consulatum refrigeratio quaedam manifesta fuit. Cicero de suis rebus in consulatu gestis „Pompeio in Asiam epistulam non mediocrem ad instar voluminis scriptam miserat, aliquanto, ut videbatur, insolentius

scriptam, ut Pompeio stomachum non mediocriter commoveret, quod quadam superbiore iactantia omnibus se gloriosis ducibus anteponeret" (Schol. Bob. in orat. p. Plancio p. 270 sq. ed. Or. cf. pro Sulla 67, pro Planc. 85). Pompeius contra in litteris suis, quas publice misit, parum significavit suam erga Ciceronem voluntatem, ut hic coniecit (ad f. V 7), veritus ne veterum suorum hostium, novorum amicorum, id est Caesaris et popularium, animos offenderet. Eodem fere tempore Cicero quidem in epistula ad Metellum data se necessarium Pompei iactat (Cf. ad f. V 2.6), sed locutio est hominis, ut verbo novicio utar, diplomatici, nam sub idem tempus Pompeius per Metellum tribunum, fratrem eius ad quem data est epistula, optimatium, id est, Ciceronis partibus adversabatur; neque is consulari ipsi parcebat (ib § 8 sq.), qui par pari referebat (oratione Metellina cf. ad Att. I 13.5). — Brevi post inter Pompeium et Metellum discidium exstitit tam publicas ob causas quam ob repudium Muciae. — Pompeius cum Romam revertit Antonium, qui collega fuerat Ciceronis, aperte aggressurus esse dicitur, ipsi „constat" eum „amicissimum esse" (ad Att. I 12.1 et 3). Non nimiam tamen eius fuisse fiduciam apparet ex illa morum Pompei notatione: „Tuus autem ille amicus — scin quem dicam? — de quo tu ad me scripsisti, posteaquam non auderet reprehendere, laudare coepisse, nos, ut ostendit, admodum diligit, amplectitur, amat, aperte laudat, occulte, sed ita, ut perspicuum sit, invidet. (Tyrrell cft ad f. VIII 1.3: solet enim aliud sentire et loqui, neque tantum valere ingenio ut non appareat quid

cupiat) Nihil come, nihil simplex (Tyrrell cft ad Att. IV 9.1: sane sibi displicens, ut loquebatur — sic est enim in hoc homine dicendum —), nihil ἐν τοῖς πολιτικοῖς illustre, nihil honestum, nihil forte, nihil liberum (ib. 13.4)."

Huius descriptionis argumentum est, quod Cicero narrat de prima Pompei post reditum ex Asia oratione: „Prima contio . . . non iucunda miseris, inanis improbis, beatis non grata, bonis non gravis; itaque frigebat (ib. 14.1, Cf. Mommsen III^6 205 annot.)."

Senatum enim laudaverat, de Cicerone ipso tacuerat: „μάλ' ἀριστοκρατικῶς locutus est senatusque auctoritatem sibi omnibus in rebus maximi videri semperque visam esse respondit et id multis verbis . . . ut omnia illius ordinis consulta γενικῶς laudaret mihique, ut adsedit, dixit se putare satis ab se etiam 'de istis rebus' esse responsum (ib. § 2)." Et tamen ab illo aperte tecte quicquid est datum, Cicero libenter accepit (cf. ib. § 4).

Ab errore autem cito Pompeius rediit, postquam cum Cicerone per breve tempus familiariter vixit, — qui tamen cavebat ne nimis ei crederet: „Illa contionalis hirudo aerarii, misera ac ieiuna plebecula, me ab hoc Magno unice diligi putat, et hercule multa et iucunda consuetudine coniuncti inter nos sumus, usque eo, ut nostri isti comissatores coniurationis, barbatuli iuvenes, illum in sermonibus 'Cn. Ciceronem' appellent (ib. 16.11). Utor Pompeio familiarissime (i. e. meis consiliis eum associare conor). Video, quid dicas. Cavebo, quae sunt cavenda (ib. 17.10). Πολιτικὸς ἀνὴρ οὐδ' ὄναρ quisquam

inveniri potest; qui poterat, familiaris noster — sic est enim; volo te hoc scire (Valetne hoc idem atque: volo te dicere me esse familiarem eius?) — Pompeius togulam illam pictam silentio tuetur suam (ib. 18.6; Boot cft Vell. II 40, Dio 37.21). Cum de consularibus mea prima sors exisset, una voce senatus frequens retinendum me in urbe censuit. Hoc idem post me Pompeio accidit, ut nos duo quasi pignora rei publicae retineri videremur (ib. 19.3). Agraria lex a Flavio tribuno pl. vehementer agitabatur auctore Pompeio, quae nihil populare habebat praeter auctorem.... Huic toti rationi agrariae senatus adversabatur suspicans Pompeio novam quandam potentiam quaeri; Pompeius vero ad voluntatem perferendae legis incubuerat. Ego.... Pompeio (nam id quoque volebam) satis faciebam (§ 4). Itaque primum eum, qui nimium diu de rebus nostris tacuerat, Pompeium adduxi in eam voluntatem, ut in senatu non semel, sed saepe multisque verbis huius mihi salutem imperii atque orbis terrarum adiudicarit... Cum hoc ego me tanta familiaritate coniunxi, ut uterque nostrum in sua ratione munitior et in re publica firmior hac coniunctione esse possit (§ 7)."

Sed privatim de socio minus lene iudicium erat: „Is, de quo scribis, nihil habet amplum, nihil excelsum, nihil non summissum atque populare. Verum tamen fuit ratio mihi fortasse ad tranquillitatem meorum temporum non inutilis, et mehercule rei publicae multo etiam utilior quam mihi, civium improborum impetus in me reprimi, cum hominis amplissima fortuna, auctoritate, gratia fluctuantem sententiam confirmassem et

a spe malorum ad mearum rerum laudem convertissem. Quod si cum aliqua levitate mihi faciendum fuisset, nullam rem tanti aestimassem; sed tamen a me ita sunt acta omnia, non ut ego illi adsentiens levior, sed ut ille me probans gravior videretur (20.2)."

Atticus autem hanc rationem non probavit: „Quod me quodam modo molli brachio de Pompei familiaritate obiurgas.... rei publicae certe prodest (ib. II 1.6)." Atque sex mensibus post Cicero quoque de fide Pompei denuo dubitat: „Epicratem (Iphicratem ingeniose Tyrrell) suspicor lascivum fuisse: etenim mihi caligae eius et fasciae cretatae non placebant (ib. 3.1)", neque igitur, quamvis invitatus, Balbi, Caesaris familiaris, adhortationibus obtemperavit; „is" enim „affirmabat illum omnibus in rebus meo et Pompei consilio usurum daturumque operam ut cum Pompeio Crassum coniungeret." In quibus haec commoda essent: „coniunctio mihi summa cum Pompeio; si placet etiam cum Caesare (ib. § 3)." —

Ab hoc tempore usque ad exilium Cicero nihil praetermisit, ut Pompeium a Caesaris coniunctione avocaret: in quo Caesar felicior fuit qui ipse Pompeium a Ciceronis familiaritate diiunxit (Cf. Philipp. II 23); in epistulis quoque virum spe deiectum ubique cognoscimus, ita tamen ut appareat Ciceronem non sua sed rei publicae causa eum sibi conciliare voluisse: „Oratione(m)... non libebat mihi scribere,... ne laudarem eum, quem non amabam (ad Att. II 7.1). Si vero, quae de me pacta sunt (Pompeius scilicet operam daturus erat, ut Clodium ab

aggrediendo Cicerone contineret), ea non servantur, in caelo sum, ut sciat hic noster Hierosolymarius traductor ad plebem, quam bonam meis putissimis orationibus gratiam rettulerit, quarum exspecta divinam παλινῳδίαν (ib. 9.1). Gnaeum nostrum, collegam Balbi (vid. Boot) (12.1). Quanto in odio noster amicus! cuius cognomen una cum Crassi Divitis cognomine consenescit (13.2). Nihil est iam, quod magis timendum nobis putem, quam ne ille noster Sampsiceramus, cum se omnium sermonibus sentiet vapulare .... ruere incipiat (14.1). Gnaeus quidem noster iam plane quid cogitet nescio (16.2). Turbat Sampsiceramus; nihil est, quod non timendum sit; ὁμολογουμένως τυραννίδα συσκευάζεται (17.1). Velim ex Theophane expiscere, quonam in me animo sit Arabarches. Quaeres scilicet κατὰ τὸ κηδεμονικὸν et ad me ab eo quasi ὑποθήκας adferes, quem ad modum me geram. Aliquid ex eius sermone poterimus περὶ τῶν ὅλων suspicari (Cf. I 13.4, supra p. 160 sq.) (§ 3). Populares isti iam etiam modestos homines sibilare docuerunt (mox: „neminem tenent [Boot pro vulg. tenet] voluntate; ne metu necesse sit iis uti, vereor.") Pompeius, nostri amores (once my beau idéal, Tyrrell; cf. nostrum Pompeium § 3), quod mihi summo dolori est, ipse se afflixit (19.2). Pompeius significat studium erga me non mediocre; idem affirmat verbum de me illum (Clodium) non esse facturum; in quo non me ille fallit, sed ipse fallitur (§ 4). Pompeius amat nos carosque habet. ‚Credis?', inquies. Credo: prorsus mihi persuadet. Sed quia volgo pragmatici homines .... cavere iubent et

vetant credere, alterum facio, ut caveam, alterum, ut non credam, facere non possum. Clodius adhuc mihi denuntiat periculum: Pompeius affirmat non esse periculum; adiurat; addit etiam se prius occisum iri ab eo quam me violatum iri. Tractatur res (Pompeius cum Clodio agit de periculo Ciceronis, Boot) (20. 1 et 2)."

Pompeium, minus iam aura populari fruentem, Cicero commiserari coepit: „Ille noster amicus .... quo se conferat nescit .... bonos inimicos habet, improbos ipsos non amicos .... Non tenui lacrimas .... Ego hunc omnibus a me pictum et politum artis coloribus subito deformatum non sine magno dolore vidi: quamquam nemo putabat propter Clodianum negotium (adoptionem scilicet) me illi amicum esse debere, tamen tantus fuit amor, ut exhauriri nulla posset iniuria. Itaque Archilochia in illum edicta Bibuli (cf. 20.4 et 5) populo ita sunt iucunda, ut eum locum, ubi proponuntur, prae multitudine eorum, qui legunt, transire nequeamus; ipsi ita acerba, ut tabescat dolore; mihi mehercule molesta, quod et eum, quem semper dilexi, nimis excruciant et timeo, tam vehemens vir tamque acer in ferro et tam insuetus contumeliae ne omni animi impetu dolori et iracundiae pareat (21.3—4)."

Pompeium ipsum — quae volumus, credimus libenter! — societatis cum Caesare et Crasso taedere arbitrabatur: „Summum odium omnium hominum in eos, qui tenent omnia: mutationis tamen spes nulla. Sed, quod facile sentias, taedet ipsum Pompeium vehementerque paenitet (22.6)." Cf.: „Te scire volo Sampsiceramum, nostrum

amicum, vehementer sui status paenitere restituique in eum locum cupere, ex quo decidit, doloremque suum impertire nobis et medicinam interdum aperte quaerere, quam ego possum invenire nullam; deinde omnes illius partis auctores ac socios nullo adversario consenescere; consensionem universorum nec voluntatis nec sermonis maiorem umquam fuisse (23.2)."

Etsi ipsi Clodium in Ciceronem armarant, Pompeius et Caesar ut bono esset animo eum adhortari numquam destiterunt. Qui tamen fidem iis non habebat: „ad Att. II 20. 1 et 2 (p. 164 sq. laud.). Pompeius confirmat eum (Clodium) nihil esse facturum contra me. Mihi periculosum est credere; ad resistendum me paro (21.6). Cum hoc Pompeius egit et, ut ad me ipse referebat — alium enim habeo neminem testem —, vehementer egit, cum diceret in summa se perfidiae et sceleris infamia fore, si mihi periculum crearetur ab eo, quem ipse armasset, cum plebeium fieri passus esset, fidem recepisse sibi et ipsum et Appium de me; hanc si ille non servaret, ita laturum, ut omnes intellegerent nihil sibi antiquius amicitia nostra fuisse. Haec et in eam sententiam cum multa dixisset, aiebat illum primo sane diu multa contra, ad extremum autem manus dedisse et affirmasse nihil se contra eius voluntatem esse facturum. Sed postea tamen ille non destitit de nobis asperrime loqui; quod si non faceret, tamen ei nihil crederemus atque omnia, sicut facimus, pararemus (22.2). Pompeius de Clodio iubet nos esse sine cura et summam in nos benevolentiam omni oratione significat (24.5).

Pompeius omnia pollicetur et Caesar, quibus ego ita credo, ut nihil de mea comparatione deminuam (ad Q. fr. I 2.16)".

In summo autem discrimine Pompeius Caesare praelato Ciceronem deseruit cui periclitanti omne negavit auxilium, ut apparet ex iis quae postea scripsit ad Atticum (III 15.4) de Pompei minus liberali responso, quo perterritus fuisset. Responsum fuisse videtur: se (Pompeium) nihil contra huius (Caesaris) voluntatem facere posse (ad Att. X 4.3 Cf. III 18.1 cit. p. 168 sq.). In orationibus, quas post reditum habuit, artissimum per omne hoc tempus amicitiae vinculum fuisse affirmare non desinit: „Hunc (Clodium) vir clarissimus mihique multis repugnantibus amicissimus, Cn. Pompeius, omni cautione, foedere, exsecratione devinxerat nihil in tribunatu contra me esse facturum (pro Sest. 15).... virum studiosum mei (ib. 41). Me Cn. Pompeius multis obsistentibus eius erga me studio atque amori semper dilexit, semper sua coniunctione dignissimum iudicavit, semper non modo incolumem, sed etiam amplissimum atque ornatissimum voluit esse (in Pis. 76)." — Pro Sestio 39 tamen leniter et auditoribus satis obscure illiberale illud responsum tangit: „Auctore Cn. Pompeio clarissimo viro mihique et nunc et quoad licuit (per Caesarem sc., vid. Halm) amicissimo." —

Exulantis animus primum subita defectione Pompei (ad Q. fr. I 4.4) turbatus est, quem sibi pertimuisse arbitrabatur (ib. § 1: „intimus, proximus, familiarissimus quisque sibi pertimuit" ad Pompeium pertinere videntur),

et simulatorem etiam (i. q. etiamnunc, „still", Tyrrell) putabat (ib. I 3.9). Atticus autem exspectationem dissensionis inter Pompeium et Clodium attulit, quod Pompeium impelleret ut pro Ciceronis reditu operam daret; quae exspectatio Ciceroni in exiguum tempus spem animumque reddidit: „Sermonem tuum et Pompei cognovi ex tuis litteris: motum in re publica non tantum ego impendere video, quantum tu aut vides aut ad me consolandum affers; Tigrane enim neglecto sublata sunt omnia (ad Att. III 8.3). Ex tuis litteris plenus sum exspectatione de Pompeio, quidnam de nobis velit aut ostendat; comitia enim credo esse habita, quibus absolutis scribis illi placuisse agi de nobis. Si tibi stultus esse videor, qui sperem, facio tuo iussu (14.1). Proximis litteris scripseras, fore uti secundum comitia aliquid de nobis in senatu ageretur; id tibi Pompeium dixisse. Qua de re, quoniam comitia habita sunt tuque nihil ad me scribis, proinde habebo ac si scripsisses nihil esse, neque temporis non longinqui spe ductum me esse moleste feram; quem autem motum te videre scripseras, qui nobis utilis fore videretur, eum nuntiant, qui veniunt, nullum fore (13.1)." Non tamen nescit invito Caesare Pompeium opem sibi laturum non esse, itaque se ex Caesaris arbitrio pendere: „Exspectationem nobis non parvam attuleras, cum scripseras Varronem tibi pro amicitia confirmasse causam nostram Pompeium certe suscepturum, et, simul a Caesare ei litterae, quas exspectaret, remissae essent, actorem etiam daturum: utrum id nihil fuit, an adversatae sunt Caesaris litterae?

An est aliquid in spe? (18.1)." Attamen spes omnis in Pompeio, quem apud Caesarem sibi patrocinaturum esse sine dubio exspectat, posita manet: „In novis tribunis pl. intellego spem te habere: id erit firmum, si Pompei voluntas erit (ad f. XIV 2.2). Lentulus (cos. a. 57) suo in nos officio, quod et re et promissis et litteris declarat, spem nobis nonnullam affert Pompei voluntatis; saepe enim tu ad me scripsisti eum (Lentulum [1]) totum esse in illius (Pompei) potestate (ad Att. III 22.2, cf. 23.1)." Et denique revera „ipso referente Pompeio rediit." ([Aurel. Vict.] de vir. illustr. 81, cf. Dio 39.6). —

Post reditum Cicero gratiam referendi causa Pompeio adfuit in rebus omnibus, quarum prima fuit ut ei daretur potestas rei frumentariae [2]. —

Caesaris in Ciceronis scriptis prioribus multo rarior quam Pompei mentio est, quoniam in occulto eius potestas crevit, donec praepollens subito emicuit. Initia autem eius, qui iam aedilis a. 65 de regno cogitaverat (Suet. Iul. 9 ex epistula Ciceronis ad Axium), adeo infelicia

1) Sic explicat Boot (Lentulum nihil non facere ex voluntate Pompeii. Si itaque Lentulus ille consul designatus Ciceronis causam agebat, certum erat Pompeio hoc gratum esse), contraria ratione Frey et Tyrrell (eum: Pompeium; illius: Lentuli), sed cf. ad f. XIV 1.2: „Si . . . habemus Lentulum tam studiosum quam videtur, si vero etiam Pompeium et Caesarem, non est desperandum."

2) In quo officio etiam postea eum permansisse demonstrat Tyrrell (I^2 p. 102 II 1) cl. ad Att. VII 1.2; VIII 1.4; 3.2; IX 4.2; 5.3; 7.3; 19 2 et VIII 2 4: „Ego pro Pompeio lubenter emori possum. Facio pluris omnium hominum neminem."

fuere, ut a. 63 ad desperationem adductus matri diceret: se nisi pontificem domum non reversurum (ib. 11).

Ciceronis de eo haec sunt:

A. 63 in Cat. IV 9 Caesar viam, quae popularis habetur, sequi dicitur [1]).

A. 61 domi suae deprehenso Clodio, uxori nuntium remisit (ad Att. I 12.3 et 13.3) et consulatum petiturus cum Lucceio coire cogitabat, ne M. Bibulus consul fieret (ib. 17.11).

A. 60 cum Caesaris „venti valde secundi sunt", Cicero eum meliorem reddere cogitat (i. e. optimatibus conciliare); Caesar contra cum Pompeio et Crasso Ciceronem quoque sibi coniungere studet, ut quatuorviratus fiat; quod Cicero abnuit, memor versuum suorum:

Interea cursus, quos prima a parte iuventae
Quosque adeo consul virtute animoque petisti,
Hos retine atque auge famam laudesque bonorum.

(ib. II 1.6 et 3.3). Caesar tamen a consilio non absistit; omnibus modis oratorem, cuius facultates plurimi faciebat, pellicere studet; vigintiviratum (ib. II 19.4), legationem (18.3 et 19.5) aut in exercitu suo aut liberam „voti causa", ei offert; se quicquam de P. Clodii adoptione tulisse negat (12.2) atque Ciceronem se defensurum esse affirmat (ad Q. fr. I 2.16). Luculenter ubique apparet neminem tunc temporis Caesaris ingentem ingenii vim perspexisse. Omnes Pompeium futurum regem

1) Cf. Phil. V 49: C. Caesar omnem vim ingenii, quae summa fuit in illo, in populari levitate consumpsit.

salutabant: „Tulit Caesar graviter: litterae Capuam ad Pompeium volare dicebantur (ad Att. II 19.3). Putarat Caesar oratione sua posse impelli contionem, ut iret ad Bibulum; multa cum seditiosissime diceret, vocem exprimere non potuit. Quid quaeris? Sentiunt se nullam ullius partis voluntatem tenere (21.5)." Cicero quoque serius intellexit ab eo omnia pendere: „Varronis sermo facit exspectationem Caesaris, atque utinam ipse Varro incumbat in causam! (ib. III 15.3, cf. imprimis 18.1 p. 168 sq. citat.)." Sed denuo Pompei et Caesaris studium ex aequo iudicat ad f. XIV 1.2. Quintus autem frater pro oboedientia Marci, si reditus concederetur, apud Caesarem vadimonium in se recepit (ad f. I 9.9). —

Post reditum in multis rebus Caesari morem gerere coactus est, ita ut etiam librum scriberet quo Caesaris acta probaret (ad Att. IV 5.1), Vatinium et Gabinium defenderet, alterum rogatu Caesaris, alterum postulante Pompeio: „Caesaris ut illum defenderem, mira contentio est consecuta (ad f. I 9.19). Quocum me si ante Cn. Pompei auctoritas in gratiam non reduxisset... (pro Rab. 19). Si me invitum putas, ne Cn. Pompei animum offenderem, defendisse, et illum et me vehementer ignoras (ib. 33. Hic enim vulgi quam Ciceronis verbis maior fides habenda est)." Quae omnia tamen Ciceroni mitigavit Caesaris comitas et indoles amabilis, quae fecit ut in disiunctione sententiae coniuncti tamen amicitia manerent (de prov. cons. 40). —

Tertius triumvir, M. Licinius Crassus, in epistulis Ciceronis magnum locum non obtinet, et quam-

quam Cicero, ab eo impense laudatus, scribit hunc diem se valde Crasso adiunxisse (ad Att. I 14.3 sq.), inter eius amicos numerari nequit — quod mirum non est, nam Crasso quod sciam amicus fuit nemo. Optime Cicero intellexit Crassum, non ut ipsum sibi conciliaret, sed ut Pompeium offenderet utque senatui acceptum se redderet, ita esse locutum, quia praesertim laudem illam eo minus deberet, quod omnibus ipsius litteris in Pompeiana laude perstrictus esset. Quid quod tam ei infensus erat, ut Cicero diceret Pompeium animo fractum spectaculum uni Crasso iucundum praebere (ib. II 21.4). —

Brevi post iudices Clodianos corrupit, iuvitque igitur Ciceronis adversarium: „Nosti Calvum ex Nanneianis, illum laudatorem meum, de cuius oratione erga me honorifica ad te scripseram: biduo per unum servum, et eum ex gladiatorio ludo, confecit totum negotium (ib. I 16.5)."

In causa publicanorum Asianorum, quos Crassus impulit, ut postulare auderent, ut locatio vectigalium a censoribus induceretur, Cicero adiutor ei fuit, quia summum erat periculum, ne, si nihil impetrassent, plane alienarentur a senatu (ib. 17.9). Cum autem Clodius Ciceronem aggressus est „M. Crasso auctore quae faciebat se facere clamabat" (de har. resp. 47) et eum infestissimum Ciceronis fortunis praedicabat (pro Sest. 39). Clodium non errasse verisimile reddunt ad Att. II 22.5: „Puto Pompeium a Crasso urgeri" (ita T y r r e l l) et ex epistulis de exilio locus, ubi Crassum nominat: „In novis tribunis pl. intellego spem te habere. Id erit firmum, si Pompei

voluntas erit, sed Crassum tamen metuo (ad f. XIV 2.2)." Probe vero sciens Crassum, si cum aliquo rem transigere posset, non curare quarum in re publica partium is esset (cf. M o m m s e n III 15), Cicero censebat Quinto fratri, si pecuniae inopia urgeret, Crassum adeundum esse (ad Q. fr. I 3.7). Quod in Sestiana (39 et 41) Crassum virum fortissimum appellavit, quocum sibi omnes essent amicitiae necessitudines, quique a consulibus suam causam suscipiendam esse diceret, nihil probant, cum praesertim ipse in epistula ad Lentulum (ad f. I 9.20) narret se a. 55 demum cum eo in gratiam rediisse. —

Primum post „reges" locum inter eos, quibuscum Cicero in gerenda re publica coniunctionem habuit, procul dubio M. P o r c i o C a t o n i attribui oportet, etsi Cicerone exule ipse quoque a Roma absens nullo modo ei prodesse potuit.

Cicero Catonem, theoreticum illum, qui iis temporibus, quae quam maxime homines pragmaticos requirebant, temere sententiam suam tamquam in Platonis πολιτείᾳ, non tamquam in Romuli faece, dicere solebat (ad Att. II 1.8) — qui rem publicam constantia magis et integritate quam consilio aut ingenio curabat (ib. I 18.7), plurimi semper aestimabat atque eius iudicium omnium maxime reverebatur (II 5.1). Sed Cato, qui si comitia gratuita fuissent, plus unus potuisset quam omnes leges omnesque iudices (ad Q. fr. II 14 [15b], ad Att. IV 15.8), in urbe, ubi vi atque armis aut pecunia omnia decernebantur, nihil poterat, nisi propter nimium vir-

tutis rigorem suos socios a se abalienare (vid. p. 35). Cum autem Clodio molestus fieri posset neque Caesar, in Galliam proficiscens, quemquam Romae relinquere vellet, qui partium optimatium dux esset idoneus, Clodius legem tulit, qua Catonem sub honorificentissimo ministerii titulo a re publica relegavit. Quippe legem tulit, ut quaestor cum iure praetorio, adiecto etiam quaestore, mitteretur in insulam Cyprum, ad spoliandum regno Ptolemaeum (Vellei. II 44 cf. Cic. de dom. 20) [1]).

In exilio Cicero semel tantum Catonem commemorat. Scripserat Attico omnes, quos amicos putasset, sibi invidisse, Atticus conatus erat eos purgare, Catonem imprimis ei ante oculos ponens; Cicero respondet se de eius fide numquam dubitasse: „Quod purgas eos, quos ego mihi scripsi invidisse, et in eis Catonem, ego vero tantum illum puto ab isto scelere afuisse, ut maxime doleam plus apud me simulationem aliorum quam istius fidem valuisse (ad Att. III 15.2)." —

Cum Cicerone Q. Hortensius Hortalus principatum in re oratoria tenebat, quae aemulatio tamen eorum amicitiae non nocuit — utrique honorificum profecto testimonium! Saepius unum reum una defenderunt, ut Murenam (pro Mur. 10,48), Plancium (p. Planc. 37), Flaccum (p. Flacco 41), alios. Optimatium partibus cum Cicerone addictus Hortensius Clodii adversarius

1) Negari sane non potest, lepidum Clodii iocum fuisse, hominem omnium Romanorum integerrimum mittere ad perpetrandum facinus quo nullum umquam populus Romanus commisit iniustius. Cf. Plutarch. Cat. 34, Mommsen III[6] 219.

fuit, atque ab eo contumeliose laesus est (ad Att. I 14.5). In iudicio autem Clodiano integritati iudicum nimis fidens in decernendo genere eorum Fufio, adversarii sodali, adfuit, quam imprudentiam exitus punivit (ib. 16.2 sq.). Quamquam Cicero in eo, ut in aliis illis „piscinariis", ardorem animi et nervos rei publicae bene gerendae desiderabat, non tamen habuit quod se ab illo destitutum esse quereretur. (Cf. Bardt Kommentar p. 17 sq.). In oratione sua pro Flacco Hortensius in Ciceronis laudibus celebrandis multus fuisse videtur, quod sibi gratum fuisse Cicero mandat Attico, ut Hortensio significet; „At hercule alter tuus familiaris, Hortalus, quam plena manu, quam ingenue, quam ornate nostras laudes in astra sustulit, cum de Flacci praetura et de illo tempore Allobrogum diceret! Sic habeto, nec amantius nec honorificentius nec copiosius potuisse dici: ei te hoc scribere a me tibi esse missum sane volo (ad Att. II 25.1)."

Exul de collega longe alia dicit Cicero, cum praesertim ei ignoscere non possit quod consilium sibi dederit Romam relinquendi; proditorem etiam saepius eum appellat, modo nomen ipsum ponens, modo universe loquens: „Non faciam ut enumerem miserias omnes, in quas incidi per summam iniuriam et scelus non tam inimicorum meorum quam invidorum (ad Att. III 7.2). Cuius enim scelere impulsi ac proditi simus iam profecto vides (8.4). ‚Nunc Hortensium allice et eius modi viros.' Obsecro, mi Pomponi, nondum perspicis quorum opera, quorum insidiis, quorum scelere perierimus?

(9.2). Quantum Hortensio credendum sit nescio. Me summa simulatione amoris summaque assiduitate cotidiana sceleratissime invidiosissimeque tractavit, adiuncto Q. Arrio: quorum ego consiliis, promissis, praeceptis destitutus in hanc calamitatem incidi. Sed haec occultabis, ne quid obsint... puto per Pomponium fovendum tibi esse ipsum Hortensium (ad Q. fr. I 3.8)... nisi intra parietes meos de mea pernicie consilia inirentur (ad Att. III 10.2). Ego iis, quibus meam salutem carissimam esse arbitrabar, inimicissimis crudelissimisque usus sum (13.2). Iis credidi, a quibus nefas putaram esse me decipi, aut etiam, quibus ne id expedire quidem arbitrabar (ad Q. fr. I 4.1)... si me omnibus amplissimis, carissimis iucundissimisque rebus perfidia hominum spoliatum, si me a meis consiliariis proditum et proiectum vides (ad Att. III 19.3)."

Si alia non haberemus testimonia, frequens ea accusationum repetitio nobis persuaderet, Hortensium revera Ciceronem in miseriis turpiter deseruisse, sed ipse Cicero postea alia tradit: Hortensium pigritiam minime ostendisse, immo vero vitae periculum adiisse in Cicerone contra Clodianos defendendo: „Vidi enim; vidi hunc ipsum Q. Hortensium, lumen et ornamentum rei publicae, paene interfici servorum manu, cum mihi adesset (pro Milone 37)", quod factum est in eodem tumultu, de quo Dio 38.16: *Τῷ τε Ὁρτησίῳ καὶ τῷ Κουρίωνι, ὅτι καὶ ἀθροισθεῖσί σφισι* (equitibus) *συνεγένοντο, καὶ τὴν πρεσβείαν ὑπέστησαν, ἐπεκάλει* (Gabinius consul). *καὶ αὐτοὺς ὁ Κλώδιος ἐς τὸ πλῆθος ἐσαγαγὼν πληγαῖς ἐπὶ*

τῇ πρεσβείᾳ διά τινων προπαρεσκευασμένων συνέκοψεν.

Neque postea Ciceronem amicitiam eius, quem proditionis totiens accusaverat, respuisse, iam inde apparet, quod simul cum eo Sestium defendit (pro Sest. 3,14). —

P. Cornelius Lentulus Spinther — „non solum temporibus his, quae per te sum adeptus, sed iam olim nascenti prope nostrae laudi dignitatique favisti (ad f. I 7.8, a. 56)" — praetor a. 59 inter „amicissimos et acerrimos cives" erat (ad Q fr. I 2.16) atque proximo anno pro Cicerone exule adeo fortiter egit ut Cicero ipse — quamvis desperato esset animo — semel tantum dubitaverit non de voluntate eius sed de viribus: „Credo tua (Quinti fratris) causa velle Lentulum, qui erit consul: quamquam sunt facta verbis difficiliora (ad Q. fr. I 4.5)." Alibi semper de eo ut de sui studiosissimo loquitur: „Lentulus suo in nos officio, quod et re et promissis et litteris declarat, spem nobis nonnullam affert Pompei voluntatis: saepe enim tu ad me scripsisti eum totum esse in illius potestate (ad Att. III 22.2, cf. p. 169). Si Lentulum tam studiosum (habemus) quam videtur.... non est desperandum (ad f. XIV 1.2). De Lentuli studio.... perscribis (ad Att. III 23.1). Fuit omnino difficile non obsequi vel amicissimo homini Lentulo vel Metello... sed vereor, ne, hos cum tamen tenere potuerimus, tribunos plebis amiserimus (ib. 24.2)."

Neque immerito Cicero Lentulo fidit, quippe qui inter primos fuerit et acerrimos, qui reditum perpetrarint, ut ipse multifariam maximis cum laudibus narrat, e. g. in Sestiana (70 et 72): „Hoc igitur anno, magistratibus

novis designatis (Lentulo sc. et Metello), cum omnes boni omnem spem melioris status in eorum fidem convertissent, princeps P. Lentulus auctoritate ac sententia sua, Pisone et Gabinio repugnantibus, causam suscepit tribunisque plebis octo referentibus praestantissimam de me sententiam dixit... Veniunt Kalendae Ianuariae: vos haec melius scire potestis, equidem audita dico,... quae (tum) virtus actio gravitas P. Lentuli consulis fuerit." (Cf. ad Att. III 26, Dio 39.6). —

Cum Lentulo a. 57 consul erat Q. Caecilius Metellus Nepos, qui, nobilitate generis inter omnes excellens sed Pompeio addictus, Ciceroni dum optimatium partibus favebat, inimicissimus fuerat. Tribunus plebis a. 63 Ciceronem „magistratu abeuntem contionis habendae potestate privavit (ad f. V 2.7)." Cicero tantum vanitati inflictum vulnus inultum non sivit et „sic cum eo de re publica disputavit, ut sentiret sibi cum viro forti et constanti esse pugnandum (ib. § 8)." Metellus autem cum non desineret eum accusare, orationem in eum scripsit Metellinam (ad Att. I 13.5), cuius nonnulla fragmenta servata sunt. Contentio in dies acrior facta eventum habuit, ut Metellus ad Pompeium se contulerit (Dio 37.42 sq.). Sed propterea quod Pompeius Muciae Metelli sorori nuntium misit (Dio c. 49) et fortasse alias quoque ob causas Metellus a Pompeio abalienatus est. Odium autem in Clodium et triumviros (ad Att. II 12.2) effecit, ut Ciceroni appropinquaret. Qui ab urbe absens animum eius mutatum primo nesciebat, nam consulem designatum inimicum sibi esse

dicit ad Att. III 12.1, postea vero eius moderationem, qui inimicitias sibi cum Cicerone susceptas patribus conscriptis dixit se permissurum (pro Sest. 72), cognovit atque mox reconciliatum eum cum Metello videmus. (Id P. Servilii Isaurici opera effectum esse plus semel affirmat, vid. p. 189): „De Metello scripsit ad me frater, quantum speraret, perfectum esse per te (ad Att. III 22.2). De Metelli voluntate... perscribis (23.1). Fuit omnino difficile non obsequi.... Metello, qui simultatem humanissime deponeret (24.2)." In senatu enim de Cicerone mitissimam orationem habuerat, ut Quintus frater Ciceroni scripsit; quae benevolentia Ciceronem permovit, ut ad Metellum epistulam (ad f. V 4) daret, qua gratias ei ageret et de reliquo tempore auxilium ab eo peteret. Quam gratiarum actionem totiens repetiit, quotiens post reditum de suis temporibus locutus est (de prov. cons. 22, in Pison. 35, de domo 7,70 etc.). —

Post consules Ciceronis spes posita erat in tribunis plebis tam anni 58, quorum octo [1]) duce L. Ninnio — viro incredibili fide magnitudine animi — de reditu promulgaverunt [2]), cuius legis tertio capite Cicero minime contentus erat [3]), quam anni 57, quos fautores sibi futuros sperabat. Ad illos pertinent: „Si omnes tribunos plebis habemus... non est desperandum (ad f. XIV 1.2),

1) Nam nonus, Aelius Ligus, se absente defluxit (pro Sest. 69), et decimus Clodius erat, de quo alii iam fuse egerunt.

2) pro Sest. 69 et 26, ad Att. III 23.4, Dio 38,16.

3) ad Att. III 23.

novis designatis (Lentulo sc. et Metello), cum omnes boni omnem spem melioris status in eorum fidem convertissent, princeps P. Lentulus auctoritate ac sententia sua, Pisone et Gabinio repugnantibus, causam suscepit tribunisque plebis octo referentibus praestantissimam de me sententiam dixit... Veniunt Kalendae Ianuariae: vos haec melius scire potestis, equidem audita dico,... quae (tum) virtus actio gravitas P. Lentuli consulis fuerit." (Cf. ad Att. III 26, Dio 39.6). —

Cum Lentulo a. 57 consul erat Q. Caecilius Metellus Nepos, qui, nobilitate generis inter omnes excellens sed Pompeio addictus, Ciceroni dum optimatium partibus favebat, inimicissimus fuerat. Tribunus plebis a. 63 Ciceronem „magistratu abeuntem contionis habendae potestate privavit (ad f. V 2.7)." Cicero tantum vanitati inflictum vulnus inultum non sivit et „sic cum eo de re publica disputavit, ut sentiret sibi cum viro forti et constanti esse pugnandum (ib. § 8)." Metellus autem cum non desineret eum accusare, orationem in eum scripsit Metellinam (ad Att. I 13.5), cuius nonnulla fragmenta servata sunt. Contentio in dies acrior facta eventum habuit, ut Metellus ad Pompeium se contulerit (Dio 37.42 sq.). Sed propterea quod Pompeius Muciae Metelli sorori nuntium misit (Dio c. 49) et fortasse alias quoque ob causas Metellus a Pompeio abalienatus est. Odium autem in Clodium et triumviros (ad Att. II 12.2) effecit, ut Ciceroni appropinquaret. Qui ab urbe absens animum eius mutatum primo nesciebat, nam consulem designatum inimicum sibi esse

dicit ad Att. III 12.1, postea vero eius moderationem, qui inimicitias sibi cum Cicerone susceptas patribus conscriptis dixit se permissurum (pro Sest. 72), cognovit atque mox reconciliatum eum cum Metello videmus. (Id P. Servilii Isaurici opera effectum esse plus semel affirmat, vid. p. 189): „De Metello scripsit ad me frater, quantum speraret, perfectum esse per te (ad Att. III 22.2). De Metelli voluntate... perscribis (23.1). Fuit omnino difficile non obsequi.... Metello, qui simultatem humanissime deponeret (24.2)." In senatu enim de Cicerone mitissimam orationem habuerat, ut Quintus frater Ciceroni scripsit; quae benevolentia Ciceronem permovit, ut ad Metellum epistulam (ad f. V 4) daret, qua gratias ei ageret et de reliquo tempore auxilium ab eo peteret. Quam gratiarum actionem totiens repetiit, quotiens post reditum de suis temporibus locutus est (de prov. cons. 22, in Pison. 35, de domo 7,70 etc.). —

Post consules Ciceronis spes posita erat in tribunis plebis tam anni 58, quorum octo [1]) duce L. Ninnio — viro incredibili fide magnitudine animi — de reditu promulgaverunt [2]), cuius legis tertio capite Cicero minime contentus erat [3]), quam anni 57, quos fautores sibi futuros sperabat. Ad illos pertinent: „Si omnes tribunos plebis habemus... non est desperandum (ad f. XIV 1.2),

1) Nam nonus, Aelius Ligus, se absente defluxit (pro Sest. 69), et decimus Clodius erat, de quo alii iam fuse egerunt.

2) pro Sest. 69 et 26, ad Att. III 23.4, Dio 38,16.

3) ad Att. III 23.

octo nostri tribuni (ad Att. III 23.3)", ad hos quae sequuntur in eadem epistula (§ 4) de lege a novis tribunis ferenda, et: „Nunc spes reliqua est in novis tribunis plebis (ad f. XIV 3.3)". Per breve tempus tamen — ut videtur, iniuria — veritus est ne eos amisisset (ad Att. III 24. 1 et 2 atque ibi Tyrrell).

Novi autem tribuni Ciceroni faventes hi erant: T. Annius Milo, P. Sestius, Q. Fabricius, C. Cestilius, M. Cispius, T. Fadius Gallus, M. Curtius, C. Messius (enumerantur p. red. in sen. 19—22); adversarii Numerius Quintius Rufus (de nomine vid. Halm ad pro Sest. 82) et Sex. Atilius Serranus.

Milo et Sestius in orationibus plurima laude extolluntur, quia vi atque armis pro Ciceronis salute pugnaverant, Milo audit: homo divinus, insigni quadam, inaudita, nova magnitudine animi, gravitate praeditus... vindex vestrae (populi Romani scilicet) libertatis, custos salutis Ciceronis, subsidium afflictae rei publicae, exstinctor domestici latrocinii, repressor caedis cotidianae, defensor templorum atque tectorum, praesidium curiae (pro Sest. 85 et 144), in epistulis vero (ad Q. fr. I 4.3) cum Curtio (vel Curio), Fadio, Fabricio sine ullo singulari honore coniungitur; Sestius contra non solum in oratione, qua Cicero eum defendit, sed etiam in epistulis laudatur: „Me Pomponius et Sestius et Piso noster adhuc Thessalonicae retinuerunt.... Est ille quidem in me officiosissimus Sestius... Tu nobis amicissimum Sestium cognosces (ad Q. fr. I 4.2, 3.5). Non deseram Sestii ceterorumque

promissa (ad Att. III 19.2)." Rogationis vero, quam Sestium habere in animo scribebat Atticus, textus Ciceroni non placebat: „Rogatio Sestii neque dignitatis satis habet nec cautionis. Nam et nominatim ferri oportet et de bonis diligentius scribi (ad Att. III 20.3). Sed, si est aliquid in spe, vide legem, quam T. Fadio scripsit Visellius: ea mihi perplacet. Nam Sestii nostri, quam tu tibi probari scribis, mihi non placet (23.4)."

Pro Ciceronis salute tribunus designatus iter ad Caesarem suscepit (pro Sest. 71) — Caesar autem nihil promisit —, tribunus plebis plurimis vulneribus ab operis Clodianis concisus est (ib. 79). —

Ceteri tribuni praeter sententiam latam Ciceronis saluti nihil impendisse videntur; sin aliter fuisset, non est dubium, quin orator eos supra astra tulisset. Ita enim semper est: exuli Ciceroni amicorum res gestae displicent, reduci isdem factis, quae antea non satis placuerunt, vel maxima laus videtur exilior. Praeter nomina autem haec de iis innotuerunt. Q. Fabricius et M. Cispius, cum de reditu Ciceronis legem ferrent, ab operis Clodianis pulsi sunt (pro Sest. 75 sq., pro Mil. 38). T. Fadius Gallus, qui Ciceroni consuli quaestor fuerat, C. Visellium Varronem adiit atque ab eo exemplum legis de reditu accepit, quae Ciceroni perplacebat (ad Att. III 23.4 cit. supra). Hunc ipse Cicero postea exulantem consolatus est (ad f. V 18). C. Messius Pompei satelles erat, ut apparet ex lege, quam paulo post promulgavit (Vid. ad Att. IV 1.7. Cf. ib. VIII 11 d. 2). —

Consulum virtus non solum tribunorum plebis sed etiam praetorum summa fide et diligentia sublevabatur (p. red. i. sen. 18), quorum omnium — praeter unum Appium Claudium, Clodii fratrem, quem quaestionem de pecuniis repetundis sortitum Cicero Quinti fratris ex Asia redeuntis causa metuebat (ad Att. III 17.1) quemque postea salse derisit (pro Sest. 126 cf. ib. 78) — in Ciceronem „omnia officia summa constiterunt." Erant: L. Caecilius, M. Calidius, C. Septimius, Q. Valerius, P. Crassus, Sex. Quintilius, C. Cornutus (p. red. i. sen. 23). L. Caecilii domum instinctu Clodii oppugnatam scribit Cicero (pro Mil. 38). Asconius (a. l.) insuper narrat: „Is (Caecilius) cum faceret ludos Apollinares, ita infima coacta multitudo annonae caritate tumultuata est, ut omnes, qui in theatro spectandi causa consederant, pellerentur." M. Calidius statim designatus declaravit „quam esset cara sibi mea salus" (p. red. in sen. 22); Quintum fratrem Cicero adhortatur ut, si forte quid futurum sit molestiae, ad Crassum et Calidium se conferat (ad Q. fr. 1 3.7). De ceteris nihil peculiare memoriae traditum est. —

Maximum fructum Cicero exul percepit ex officio Cn. Plancii, qui in Macedonia quaestor L. Appulei propraetoris erat (pro Planc. 28). Is simulac Ciceronem Dyrrhachium attigisse audivit, illico lictoribus dimissis, insignibus abiectis, veste mutata ad eum profectus est (Cf. pro Planc. 98). „Hic ego nunc de praetore Macedoniae nihil dicam amplius nisi eum et civem optimum semper et mihi amicum fuisse, sed eadem timuisse

quae ceteros; Cn. Plancium fuisse unum, non qu minus timeret, sed, si acciderent ea, quae timerentur, mecum ea subire et perpeti vellet (ib. 99)." Neque epistulae benevolum huius animum infitiantur: „Extrudimur, non a Plancio — nam is quidem retinet —, verum ab ipso loco minime apposito ad tolerandam in tanto luctu calamitatem (ad Att. III 14.2). Me adhuc Plancius liberalitate sua retinet iam aliquotiens conatum ire in Epirum: spes homini est iniecta non eadem, quae mihi, posse nos una decedere, quam rem sibi magno honori sperat fore. Sed iam, cum adventare milites dicentur, faciendum nobis erit ut ab eo discedamus (ib. 22.1). Plancius, homo officiosissimus, me cupit esse secum et adhuc retinet.... sperat posse fieri, ut mecum in Italiam decedat (ad f. XIV 1.3)." —

Reliquos „amicos" ordine alphabetico enumerabo adiectis locis quibus de iis mentio iniecta est.

L. Aelius Lamia: „L. Lamiam, qui cum me ipsum pro summa familiaritate, quae mihi cum patre eius erat, unice diligebat, tum pro re publica vel mortem oppetere cupiebat, in contione relegavit (Gabinius consul anni 58) edixitque, ut ab urbe abesset milia passuum ducenta, quod esset ausus pro civi, pro bene merito civi, pro amico, pro re publica deprecari (pro Sest. 29). L. Lamia praeturam petit: hoc ego utor uno omnium plurimum... nihil mihi eius est familiaritate iucundius. Magno praeterea beneficio eius magnoque merito sum obligatus: nam Clodianis temporibus, cum equestris ordinis princeps esset, proque mea salute acerrime propugnaret, a Gabinio

consule relegatus est, quod ante id tempus civi Romano Romae contigit nemini (ad f. XI 16.2. Cf. in Pis. 64, ad f. XII 29.1)."

L. Aelius Tubero, annalium scriptor, legatus erat Q. Ciceronis (ad Q. fr. I 3.10): „L. Tubero, meus necessarius.... decedens ex Asia ad me venit easque insidias, quas mihi paratas ab exulibus coniuratis audierat, ad me animo amicissimo detulit (pro Planc. 100)."

T. Agusius: „T. Agusius et comes meus fuit illo miserrimo tempore et omnium itinerum, navigationum, laborum, periculorum meorum socius, neque hoc tempore discessisset a me, nisi ego ei permisissem: qua re sic tibi (P. Servilio) eum commendo, ut unum de meis domesticis et maxime necessariis (ad f. XIII 71)."

L. Aurelius Cotta, qui oppressa Catilinae coniuratione supplicationem Ciceroni decrevit (Phil. II 13): „Tum (Kal. Ian. anni 57) princeps rogatus sententiam L. Cotta dixit id, quod dignissimum re publica fuit, nihil de me actum esse iure, nihil more maiorum, nihil legibus: non posse quemquam de civitate tolli sine iudicio: de capite non modo ferri, sed ne iudicari quidem posse nisi comitiis centuriatis.... quare me, qui nulla lege abessem, non restitui lege, sed revocari senatus auctoritate oportere (pro Sest. 73, de domo 68, de leg. III 45. Cf. ad Att. III 15.5)."

L. Cornelius Balbus, familiaris ille Caesaris, „qui non modo non exsultavit in ruinis nostris, sed omni officio, lacrimis, opera, consolatione omnis me absente meos sublevavit (pro Balbo 58)".

L. Cornelius Lentulus Crus, qui P. Clodii accusator fuerat (de har. resp. 37. Cf. ad Att. I 16.3 et ibi Boot), praetor (a. 58) pro Cicerone L. Pisonem consulem deprecatus est (in Pis. 77).

L. Domitius Ahenobarbus, a Vettio indice coniurationis in Pompeium insimulatus (ad Att. II 24.3) itaque iam tum triumvirorum adversarius, quem praetorem designatum Cicero a. 59 inter amicissimos et acerrimos cives recensuit (ad Q. fr. I 2.16), praetor a. 58 dixit se relaturum esse (ad Att. III 15.6).

Q. Fabius Sanga cum aliis pro Cicerone L. Pisonem consulem deprecatus est (in Pis. 77).

L. Gellius Poplicola, „quia suam classem attemptatam magno cum suo periculo paene sensit, dixit in contione, si ego consul, cum fui, non fuissem, rem publicam funditus interituram fuisse (post red. ad Quir. 17), mihi.... civicam coronam deberi a re publica dixit (in Pis. 6)."

M. Iuventius Laterensis, homo dies atque noctis de laude et de re publica cogitans (in Vat. 26), a Vettio indice nominatus est (ib. Cf. ad Att. II 24.3). „Qui cum mihi esses amicissimus, cum vel periculum vitae tuae mecum sociare voluisses, cum me in illo tristi et acerbo luctu atque discessu non lacrimis solum tuis, sed animo, corpore, copiis prosecutus esses, cum meos liberos et uxorem me absente tuis opibus auxilioque defendisses... (pro Planc. 73)."

M. Laenius Flaccus: „Brundisium veni vel potius ad moenia accessi.... in hortos me M. Laenii Flacci

contuli, cui cum omnis metus, publicatio bonorum, exilium, mors proponeretur, haec perpeti, si acciderent, maluit quam custodiam mei capitis dimittere; cuius ego et parentis eius, prudentissimi atque optimi senis, et fratris et utriusque filiorum manibus in navi tuta ac fideli collocatus eorumque preces et vota de meo reditu exaudiens Dyrrhachium .... petere contendi (pro Planc. 97). Nos Brundisii apud M. Laenium Flaccum dies tredecim fuimus, virum optimum, qui periculum fortunarum et capitis sui prae mea salute neglexit neque legis improbissimae poena deductus est, quominus hospitii et amicitiae ius officiumque praestaret. Huic utinam aliquando gratiam referre possimus! habebimus quidem semper (ad f. XIV 4.2)." Et post reditum: „Nonis Sextilibus (a. 57) me domus eadem optimorum et doctissimorum virorum, M. Laenii Flacci et patris et fratris eius, laetissima accepit, quae proximo anno maerens receperat et suo praesidio periculoque defenderat (pro Sest. 131)."

L. (Livineius) Regulus mittit libertum suum Livineium ad Ciceronem cum nuntiis (ad Att. III 17.1). De quo ad f. XIII 60.1: „L. Livineius Trypho est omnino L. Reguli, familiarissimi mei, libertus ... Sed ego libertum eius per se ipsum diligo; summa enim eius erga me officia exstiterunt iis nostris temporibus, quibus facillime benevolentiam hominum et fidem perspicere potui."

M. Licinius Lucullus, L. Luculli, clarissimi imperatoris, frater — hunc a Cicerone exilii temporibus nusquam nominatum repperi; eum fuisse inter eos, qui teste Cicerone „intra parietes" de pernicie consilia

inissent, non inepte nonnulli coniciunt — a. 58 pro Cicerone L. Pisonem consulem deprecatus est (in Pis. 77); post reditum in contentione de area domus pontifex cum aliis pontificibus Ciceroni favebat et pro eo verba fecit (de domo 132, de har. resp. 12, ad Att. IV 2.4).

L. Manlius Torquatus, qui tempore coniurationis Catilinae infirmitatem corporis animi virtute superavit (pro Sulla 34) et magnis rebus in Macedonia gestis Cicerone referente ab senatu imperator est appellatus (in Pis. 44), pro Cicerone L. Pisonem consulem deprecatus est (in Pis. 77) et praeter ceteros furebat contumacia responsi illius (ib. 78).

P. Plautius Hypsaeus bello Mithridatico quaestor fuerat Pompeio (Ascon. in Milon. p. 31, Cic. pro Flacco 20) et eam fortasse ob causam apud Pompeium multum valebat; videbatur saltem eum Ciceroni conciliare posse atque id ut efficeret operam dedisse: „Varroni me iubes agere gratias; faciam, item Hypsaeo (ad Att. III 8.3)."

C. Rabirius Postumus: „Sed iam, quoniam, ut spero, fidem, quam tibi dedi, praestiti, Postume, reddam etiam lacrimas quas debeo: quas quidem ego tuas in meo casu plurimas vidi: versatur ante oculos luctuosa nox meis omnibus, cum tu totum te cum tuis copiis ad me detulisti. Tu comitibus, tu praesidio, tu etiam tanto pondere auri, quantum tempus illud postulabat, discessum illum sustentasti; tu numquam meis me absente liberis, numquam coniugi meae defuisti (pro Rabir. 47)."

In C. Scribonium Curionem patrem, quod senatui adversaretur et Clodium iuvare studeret (ad

Att. I 14.5; 16.1 et 10) et imprimis fortasse quod Ciceronis consulatum iocans ἀποθέωσιν vocasset (ib. 13), Cicero vehementer invectus est (ib. § 1) et orationem etiam — in Clodium et Curionem — scripsit. Postea vero, cum Curio, filium secutus, contra Clodium pugnare coepisset, Cicero orationem compressit, quam cum nihilominus se exule et invito prolatam audiret, valde sollicitus erat: „Percussisti autem me etiam de oratione prolata. Cui vulneri, ut scribis, medere, si quid potes. Scripsi equidem olim ei iratus, quod ille prior scripserat; sed ita compresseram, ut numquam emanaturam putarem. Quo modo exciderit nescio. Sed quia numquam accidit, ut cum eo verbo uno concertarem, et quia scripta mihi videtur neglegentius quam ceterae, puto posse probari non esse meam (ad Att. III 12.2). Sed quid Curio? An illam orationem non legit? (i. q. nonne legit? Boot). Quae unde sit prolata nescio. Axius eiusdem diei scribens ad me acta non ita laudat Curionem. At potest ille aliquid praetermittere (ib. 15.3)". De domo Ciceronis tunc temporis publice privatimve — erat autem inter pontifices — aliquid dixisse videtur: „De domo et Curionis oratione, ut scribis, ita est (ib. 20.2)". Post reditum idem pontifex Ciceroni auxiliatur (de har. resp. 12) et a. 56 bonis annumeratur (ad Q. fr. II 3.2).

C. Scribonius Curio filius ipse dixerat se mirandum in modum „reges odisse superbos" (ad Att. II 8.1) et Vettius index eum in suspicionem facinoris contra triumviros meditati adducere conatus est (ib. 24.2 sqq.). Quod Clodio quoque inimicus erat (ib. 12.2: suum exprompsit odium), a bonis cum plausu, consalutatione forensi perhonorifica aliisque benevolentiae signis acceptus est, quod Caesar graviter tulisse dicitur (ib. 18.1 et 19.3). De auxilio a Curione Ciceroni exuli praestito singulare nihil comperimus, sed a. 53 Cicero ad eum scribit: „Meam tuorum erga me meritorum memoriam nulla umquam delebit oblivio (ad f. II 1.2)."

P. Servilius Vatia Isauricus „quotienscumque ei locus dicendi ac potestas fuit, Gabinium et Pisonem ... propter illud insigne scelus eorum et importunam in me crudelitatem non solum sententia sua, sed etiam verborum gravitate esse notandos putavit (de prov. cons. 2). Dixit (cum reditus ageretur) opera mea rem publicam incolumem magistratibus deinceps traditam (p. red. ad Quir. 17)." Idem „auctoritatis et orationis suae divina quadam gravitate" Q. Metellum Nepotem cum Cicerone reconciliavit (p. red. in sen. 25. Cf. pro Sest. 130, de prov. cons. 22).

Q. Terentius Culleo cum Attico locutus est de privilegio: „Quod tecum Culleonem (ita Tyrrell probante Bootio) scribis de privilegio locutum, est aliquid." (ad Att. III 15.5, ad quem locum Boot: „Hoc tempore tribunum plebis fuisse credibile est, sed certo argumento demonstrari nequit.... Lex, qua Ciceroni aqua et igni interdiceretur, erat privilegium, quod irrogari vetabat lex duodecim tabularum. Hoc igitur nomine abrogatione non opus erat, sed poterat Cicero senatusconsulto revocari. Cf. Sest. 73").

M. Terentius Varro, Ciceroni et studiis eisdem

et vetustate amicitiae coniunctus (Acad. I 1), etsi ipse quoque optimatibus studebat, tamen inter intimos oratoris amicos non erat: „Varro satisfacit nobis (ad Att. II 20.1; 21.6). Multa per Varronem nostrum agi possunt (ib. 22.4)" (Agitur de concilianda Ciceroni Pompei manu adversus Publii furorem, Boot ad 20.1). „Cum aliquem apud te laudaro tuorum familiarium, volam illum scire ex te me id fecisse, ut nuper me scis scripsisse ad te de Varronis erga me officio, te ad me rescripsisse eam rem summae tibi voluptati esse; sed ego mallem ad illum scripsisses mihi illum satisfacere, non quo faceret, sed ut faceret; mirabiliter enim moratus est, sicut nosti: *ἑλικτὰ καὶ οὐδέν* — Sed nos tenemus praeceptum illud, *τὰς τῶν κρατούντων.*" (ib. 25.1. Varro amici speciem prae se ferebat, sed animo minus sincero erat et candido. Sed, cum Varro Pompei esset amicissimus, nolebat Cicero hominis fucum detegere, Boot).

De exule autem bene meritus est, nam èt Pompeium Ciceroni conciliare posse videbatur èt revera id egisse teste Attico: „Varroni me iubes agere gratias; faciam (ad Att. III 8.3). A Varrone scribis tibi esse confirmatum de voluntate Pompei (ib. 15.1). Varronis sermo facit exspectationem Caesaris; atque utinam ipse Varro incumbat in causam! quod profecto cum sua sponte tum te instante faciet (ib. § 3). Exspectationem nobis non parvam attuleras, cum scripseras Varronem tibi pro amicitia confirmasse causam nostram Pompeium certe suscepturum (ib. 18.1)." Unde quamquam constare videtur, Varronem Ciceronis saluti non parum operae

impendisse, hic tamen Varroni, contra atque tam multis aliis, quibus minus debebat, publice quidem laudes nullas tribuit. Neque in epistulis privatim actas gratias deprehendi; post (ad Att. IV 2.5) ut ante exilium (ib. II 22.4) simpliciter „noster" appellatur.

P. Valerius, „homo officiosus" (my kind friend, Tyrrell) „scripsit, id quod ego maximo cum fletu legi, quem ad modum a Vestae ad tabulam Valeriam ducta esses (ad f. XIV 2.2)."

M. Valerius Messalla Niger consul a. 61 „et in me perhonorificus et partium studiosus ac defensor bonarum ... vehementer adhuc agit severe (ad Att. I 13.2 et 3). Messalla consul in senatu de Pompeio quaesivit, quid de (Clodiana) religione .... sentiret (ib. 14.2). Messalla consul est egregius, fortis, constans, diligens, nostri laudator, amator, imitator (ib. § 6)." Quinti fratris Cicero exul Messallam studiosum esse arbitratur (ad Q. fr. I 3.9) et proximo anno pontifex Ciceroni adest in quaestione de domo (de har. resp. 12).

Videmus igitur inter familiares nullum fuisse, quin Ciceronis accusationes proditionis et invidiae ulla ratione redargueret. De uno Q. Arrio, quem simulationis et insidiarum exul arguit (ad Q. fr. I 3.8), nihil tale accipimus, quia numquam amplius Cicero de eo loquitur. —

Non minus quam Cicero Ovidius queritur cum gratia amicos fugisse:

> Adloquor extremum maestos abiturus amicos,
> Qui modo de multis unus et alter erat.
> (Tr. I. 3.16 sq.)

Vix duo tresve mihi de tot superestis amici;
Cetera Fortunae, non mea turba fuit.
(ib. 5.33 sq.)

Me profugum comites deseruere mei.
(ib. 64)

Donec eris sospes, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
(ib. 9.5 sq.)

Esse sed irato quis te (Auguste) mihi posset amicus?
(Tr. II 81)

Timor officium cautus compescit.
(Tr. III 4b. 65)

Ut cecidi, cunctique metu fugere ruinam,
Versaque amicitiae terga dedere meae....
.... misero vix duo tresve mihi.
(ib. 5.5 sq., 10)

Si femina quoque eum destituerit, de omni salute iam desperabit:

Me miserum! quid agam, si proxima quaeque relinquunt?
Subtrahis effracto tu quoque colla iugo?
Quo ferar? unde petam lassis solacia rebus?
Ancora iam nostram non tenet ulla ratem.
(Tr. V 2.39—42)

Amici enim fideles pauci manent:

Cumque perhorruerit casus pars maxima nostros,
Pars etiam credi pertimuisse velit,
Naufragiumque meum tumulo spectarit ab alto,
Nec dederit nanti per freta saeva manum,
Seminecem Stygia revocasti (Cotta) solus ab unda.
(ib. 9.15—19)

.... nostram cuncti destituere fugam.
(ex P. I. 4.34)

En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flavit velis aura secunda meis,
Ut fera nimboso tumuerunt aequora vento,
In mediis lacera nave relinquor aquis.
Cumque alii nolint etiam me nosse videri,
Vix duo proiecto tresve tulistis opem.
(ex P. II 3.25—30)

Nec vos parva datis pauci solacia nobis,
Quorum spectata est per mala nostra fides.
(ib. 7.81 sq.)

Mollior est animo femina nulla tuo (Brute).
Hoc ego praecipue sensi, cum magna meorum
Notitiam pars est infitiata mei.
Immemor illorum, vestri non immemor umquam,
Qui mala sollicitì nostra levatis, ero.
(ex P. IV 6.40—44)

Erant etiam qui, cum in ipsa damnatione fidem servassent, postea infideles facti essent, ut Tr. V 6 queritur de amico, qui tunc demum descivit. Non iratum se iis esse scribit Maximo Cottae, qui fidus remanserat:

.... Ignoscimus illis,
Qui cum fortuna terga dedere fugae....
Me quoque amicorum nimio terrore metuque,
Non odio, quidam destituere mei.
Non illis pietas, non officiosa voluntas
Defuit: adversos extimuere deos.
Utque magis cauti possint timidique videri,

Sic appellari non meruere mali.
(ex P. III 2.7 sq., 15—20)

Sed ingratus quidam, qui poetam nosse videri nollet, aliam audit orationem:

Dum mea puppis erat valida fundata carina,
Qui mecum velles currere, primus eras.
Nunc, quia contraxit vultum Fortuna, recedis,
Auxilio postquam scis opus esse tuo.
Dissimulas etiam, nec me vis nosse videri,
Quisque sit, audito nomine, Naso rogas.
Ille ego sum, quamquam non vis audire, vetusta
Paene puer puero iunctus amicitia!
Ille ego, qui primus tua seria nosse solebam
Et tibi iucundis primus adesse iocis:
Ille ego convictor densoque domesticus usu,
Ille ego iudiciis unica Musa tuis!
(ex P. IV 3.5—16). —

Tomis minus frequentes litteras se accipere poeta conqueritur, quia

Rarus ab Italia tantum mare navita transit,
Litora rarus in haec portubus orba venit.
(Tr. III 12.37 sq.)

sed non ita paucas eas fuisse, ipse docet: iam in itinere Roma nuntios venisse demonstrant:

Illa dolore amens (uxor) tenebris narratur obortis etc.
(Tr. I 3.91 sqq.)
Tu facis, ut spolium non sim, nec nuder ab illis,
Naufragii tabulas qui petiere mei etc.
(ib. 6.7 sqq.)

Si quis habes nostris similes in imagine voltus...
Grata tua est pietas...
Quae (Metamorphoses) quoniam non sunt penitus sublata,
[sed exstant.
(ib. 7. 1, 11, 23)
Qua potes, excusa, nec amici desere causam!
Qua bene coepisti, sic bene semper eas.
(ib. 9.65 sq.) [1]

Neque exulem amici obliti sunt:

Cur tua cessavit pietas, scribentibus illis,
Exiguus nobis cum quibus usus erat?
Cur, quotiens alicui chartae sua vincula dempsi,
Illam speravi nomen habere tuum?
(Tr. IV 7.5—9)
Pluribus accusem, fieri nisi possit, ut ad me
Littera non veniat, missa sit illa tamen.
(ib. V 13.15 sq.)

A Cotta et a Severo complures eum accepisse apparet:

Tum tua me primum solari littera coepit.
(ex P. II 3.67)
Orba tamen numeris cessavit epistula numquam
Ire per alternas officiosa vices.
(ex P. IV 2.5 sq.). —

At praeter epistulas nonnihil etiam aliud pro eo operae impendisse videntur amici, laudantur quidem saepius, gratiae iis aguntur atque auxilium rogatur in posterum: Albinovanum (ex P. IV 10.71—84) monet, ut

1) Quos locos citat Graeber (Quaest. Ovid. I p. VI, Owen I p. 50).

fidem Thesei, quem carmine laudavit, sibi servet, qualem ad id usque tempus servaverit (vs. 83 sq.):

Haec tibi, qui perstas indeclinatus amico,
Non est quod lingua dicta querente putes.

Atticus in Tr. V 4 Patroclus et Pylades suus ab Ovidio appellatur, unus ex paucis qui fideles manserunt (35). Poeta gratias ei agit pro „tot ac tantis factis" (47) et orat, ut constanter profugum tueatur (49). Ex P. II 4 e contrario de Attici fide dubitat, cuius infidelitas tamen incredibilis fere ei visa est:

Ecquid adhuc remanes memor infelicis amici,
Deserit an partes languida cura suas?
Non ita di mihi sunt tristes, ut credere possim
Fasque putem iam te non meminisse mei....
Ne tamen haec dici possit fiducia mendax
Stultaque credulitas nostra fuisse, cave,
Constantique fide veterem tutare sodalem
Qua licet et quantum non onerosus ero.
(vs. 3—6, 31—34)

Sed de eo timore se excusat ex P. II 7, acceptis fortasse ab Attico litteris:

Non igitur vereor, quia te rear esse verendum,
Cuius amor nobis pignora mille dedit:
Sed quia res timida est omnis miser....
Nec vos parva datis pauci solacia nobis,
Quorum spectata est per mala nostra fides.
Coepta tene, quaeso, neque in aequore desere navem,
Meque simul serva iudiciumque tuum.
(vs. 35—37, 81—84).

Brutus:

O mihi care quidem semper, sed tempore duro
Cognite, res postquam procubuere meae....
Nunc quoque summotum studio defendis amicum,
Et mala vix ulla parte levanda levas.
(Tr. III 4.1 sq., 41 sq.)

O mihi non dubia cognite Brute nota.
Nam cum praestiteris verum mihi semper amorem,
Hic tamen adverso tempore crevit amor.
(ex P. IV 6.22—24)

Carus:

Qua potes, excusa (crimina mea), nec amici desere causam!
Qua bene coepisti, sic bene semper eas.
(Tr. I 9.65 sq.)

Ut cecidi, cunctique metu fugere ruinam,
Versaque amicitiae terga dedere meae,
Ausus es igne Iovis percussum tangere corpus....
Spe trahor exigua, quam tu mihi demere noli
Tristia leniri numina posse dei.
Seu temere expecto, sive id contingere fas est,
Tu mihi, quod cupio, fas, precor, esse proba,
Quaeque tibi linguae facundia, confer in illud,
Ut doceas votum posse valere meum.
(Tr. III 5.5—7, 25—30)

O mihi non dubios inter memorande sodales....
Per non vile tibi nomen amicitiae....
Quanta potes, praebe nostrae momenta saluti,
Quae nisi mutato nulla futura loco est.
(ex P. IV 13.1, 44, 49 sq.)

Celsus:

O mihi post nullos umquam memorande sodales,

O cui praecipue sors mea visa sua est,
Attonitum qui me, memini, carissime, primus
Ausus es adloquio sustinuisse tuo....
Haec mihi semper erunt imis infixa medullis,
Perpetuusque animae debitor huius ero.
(Tr. I 5.1—4, 9 sq.)
Sis memor, et siquas fecit tibi gratia vires,
Illas pro nobis experiare rogo.
(Tr. III 6.21 sq.)

Cotta, qui fuit ex fautoribus poetae, sed artiore quam ceteri amicitiae cum eo iunctus consuetudine (Owen I p. XXXII sqq.), quaecumque poterat, saluti Ovidii videtur impendisse; quod Ovidio persuasum erat:

O mihi dilectos inter pars prima sodales,
Unica fortunis ara reperta meis....
Qui veritus non es portus aperire fideles
Fulmine percussae confugiumque rati;
Cuius eram censu non me sensurus egentem,
Si Caesar patrias eripuisset opes!....
Utque facis, remis ad opem luctare ferendam,
Dum veniat placido mollior aura deo....
Teque, quod est rarum, praesta constanter ad omne
Indeclinatae munus amicitiae.
(Tr. IV 5.1 sq., 5—8, 19 sq., 23 sq.)
Ille (Augustus) dedit vitam; tu, quam dedit ille, tueris,
Et facis accepto munere posse frui.
(Tr. V 9.13 sq.)

Ex P. I 9 Cottam orat, ut quae pro eo Celsus olim poetae pollicitus sit, solvat atque igitur principem adeat (vs. 25—30).

Postquam ex P. II 3 vehementer invectus est in infidos amicos, per totum reliquum carmen Cottam egregie laudat, quod miserum se et paene mortuum sustentet:

Vela regis quassae qualiacumque ratis.
Quaeque ita concussa est, ut iam casura putetur,
Restat adhuc umeris fulta ruina tuis.
(vs. 58—60)

Merita (vs. 96) autem potentis amici fuisse videntur nil nisi litterae consolatoriae (vs. 67) et promissa conversi Augusti animi.

Eaedem laudes repetuntur ex P. III 2:

Pars estis pauci melior, qui rebus in artis
Ferre mihi nullam turpe putastis opem.
(vs. 25 sq.),

sed in carmine quinto eiusdem libri ex eodem Cotta quaerit num sui etiam memor sit, se desideret (37—44), spes adhuc supersit:

Unde (Tomis) ego si fato nitor prohibente reverti,
Spem sine profectu, Maxime, tolle mihi.
(57 sq.)

Fabium Maximum, quem semper coluit, poeta, ut praesto sibi sit apud Augustum, cui erat gratissimus, tam sua quam uxoris gratia, humilis supplexque rogat:

Ille ego sum, qui te colui, quem festa solebat
Inter convivas mensa videre tuos....
Ille ego de vestra cui data nupta domo est....
Nec tamen ulterius quicquam sperove precorve,
Quam male mutato posse carere loco.

Aut hoc, aut nihil est, pro me temptare modeste
Gratia quod salvo vestra pudore queat.
(ex P. I 2.129 sq., 136, 63—66)

Ergo alii noceant miseris optentque timeri,
Tinctaque mordaci spicula felle gerant:
At tua supplicibus domus est adsueta iuvandis,
In quorum numero me, precor, esse velis.
(ex P. III 3.105—108)

Ex P. III 8.19 sqq. tristia ei dona, quae sola Pontus, nunc „loca sua" (vs. 22), dare poterat, pharetram Scythicam cum sagittis venenatis mittit. Cum autem — paulo ante Augustum mortuum — Maximus incertum an voluntariam mortem obisset (Tac. Ann. I 5), Ovidius de eo nisi laudabilia non enuntiat. Eo tamen iam desperationis provectus erat, ut putaret unumquemque, qui constituisset pro salute sua loqui, eo ipso facto mortem sibi contracturum esse, quia fatum crudele vetaret preces principem ad misericordiam iam inclinantem (vs. 15) assequi:

Certus eras pro me, Fabiae laus, Maxime, gentis,
Numen ad Augustum supplice voce loqui:
Occidis ante preces, causamque ego, Maxime, mortis
— Nec fueram tanti — me reor esse tuae.
Iam timeo nostram cuiquam mandare salutem:
Ipsum morte tua concidit auxilium.
(ex P. IV 6.9—14)

L. Pomponius Flaccus, qui tantummodo ex P. I 10 nominatur, poetae semper auxiliatus esse dicitur atque multo minus serviliter eum Ovidius compellat quam Maximum vel Cottam:

Hanc (anxietatem animi) nisi tu pariter cum fratre levares,
Vix mens tristitiae nostra tulisset onus.
Vos estis fracto tellus non dura phaselo:
Quamque negant alii, vos mihi fertis opem.
Ferte, precor, semper, quia semper egebimus illa,
Caesaris offensum dum mihi numen erit.
(vs. 37—42)

Frater Flacci erat C. Pomponius Graecinus quocum Ovidio iam iuveni familiaritas fuisse videtur (am. II 10). Modus autem, quo auxilium eius implorat poeta, talis est, ut appareat adulationis magis et officii gratia eum rogatum esse, quam quod inde poeta fructum aliquem se percepturum speraret (Koch ap. Owen I p. XXXIX):

At nunc, quod superest, fer opem, precor, eminus unam
Adloquioque iuva pectora nostra tuo....
Qui (Augustus deus) ne difficilis mihi sit, Graecine, precare,
Confer et in votum tu quoque verba meum.
(ex P. I 6.17 sq., 47 sq.)

Bracchia da lasso potius prendenda natanti,
Nec pigeat mento supposuisse manum.
Idque facis, faciasque precor...
Fac modo permaneas lasso, Graecine, fidelis,
Duret et in longas impetus iste moras.
Quae tu cum praestes, remo tamen utor in aura,
Nec nocet admisso subdere calcar equo.
(ex P. II 6.13—15, 35—38)

Atque utinam, cum iam fueris (ut novus consul) potiora precatus
Ut mihi placetur principis ira, roges!...
Quod tamen a rerum cura propiore vacabit,

Vota precor votis addite vestra meis,
Et si quem dabit aura sinum, laxate rudentes,
Exeat e Stygiis ut mea navis aquis.
(ex P. IV 9.51 sq., 71—74)

Macer, fortasse Pompeius Macer (de quo Sueton. Caes. 56, Owen I p. XLV et 69 sq.), ad quem datum est Am. II 18, etsi inter intimos amicos erat, proficiscenti Ovidio praesto non fuit, qua de causa vehementer perstringitur Tr. I 8, et in fine (vs. 47—50) monetur, ut finem amicitiae reddat initio congruentem:

Sed quoniam accedit fatalibus hoc quoque damnis,
Ut careant numeris tempora prima suis,
Effice, peccati ne sim memor huius, et illo
Officium laudem, quo queror, ore tuum.

Macer non audiens fuit adhortanti, nam cum Ovidius ei inscriberet ex P. II 10, ne litteras quidem ad eum dedisse videtur neque postea de Macro mentionem factam invenimus excepto, quod inter aequales poetas recensetur ex P. IV 16.6 (Iliacusque Macer, cf. II 10.13 sq.). Attamen nec multa nec operosa Naso ab eo petierat; contentum se futurum contendebat, si Macer sui meminisset ut ipse eius:

Hic es et ignoras: et ades celeberrimus absens
Inque Getas media iussus ab urbe venis.
Redde vicem, et, quoniam regio felicior ista est,
Istic me memori pectore semper habe.
(ex P. II 10.49—52).

Messallinus, i. e. M. Valerius Corvinus Messalla vel Messallinus, frater erat Cottae, sed Ovidio multo

minus familiaris (Owen p. XXXII). Cum tamen Tiberio coniunctissimus esset itaque in aula multum valeret, eius quoque intercessionem expetiit, sed dubitanter et modestissime et — frustra:

Tantaque in Augusto est clementia, si quis ab illo
Hoc (mutationem loci) peteret pro me, forsitan ille daret.
(Tr. IV 4.53 sq.)

Verbaque nostra favens Romana ad numina perfer
Non tibi Tarpeio culta Tonante minus...
Sic igitur, quasi me nullus deceperit error,
Verba fac, ut vita quam dedit ipse fruar...
Sit tua mutando gratia blanda loco....
Difficile est, fateor: sed tendit in ardua virtus.
(ex P. II 2.41 sq., 61 sq., 96,111)

Sextus Pompeius, Pompeiorum ultimus, quo anno Ovidius relegatus est, propraetor fortasse Achaiae (Owen XLI), pecunia et praesidio eum adiuvit:

Accipe, Pompei, deductum carmen ab illo,
Debitor est vitae qui tibi, Sexte, suae.
(ex P. IV 1.1 sq.)

Te sibi, cum fugeret, memori solet ore referre
Barbariae tutas exhibuisse vias:
Sanguine Bistonium quod non tepefecerit ensem,
Effectum cura pectoris esse tui:
Addita praeterea vitae quoque multa tuendae
Munera, ne proprias attenuaret opes.
(ib. 5.33—38, cf. 15.3 sqq.)

Eum, qui iam tanta benevolentiae testimonia dedit, rogat, cum praesertim consul factus sit (ib. 4) et amicus

intimus Germanici (ib. 5.25 sq.), ut pro se „deos oret" et mutationem loci exuli efficere conetur:

> Quod quoniam in dis est, tempta lenire precando
> Numina, perpetua quae pietate colis.
> (ib. 15.23 sq.)

Rufinus epistulam consolatoriam Ovidio miserat, qua referebat „veterum exempla virorum, qui forti casum mente tulerint"; rescribit Naso talia minimo sibi usui esse quippe qui graviore calamitate quam ceteri omnes sit affectus, non tamen ideo sibi minus gratum esse animum:

> Reddita confusae nuper solacia menti
> Auxilium nostris spemque tulere malis.
> (ex P. I 3.3 sq.)

Ex P. III 4 poeta Rufinum adit, ut favore suo carmen commendet, quod scripserat de triumpho Tiberii.

Tuticani collegae amor quidem constans laudatur, sed apparet Ovidium ab eo non multum exspectasse subsidii:

> Sed prius huic desint et bella et frigora terrae ....
> Quam tua sint lasso praecordia dura sodali ....
> Tu modo per superos, quorum certissimus ille est,
> Quo tuus assidue principe crevit honor,
> Effice constanti profugum pietate tuendo,
> Ne sperata meam deserat aura ratem.
> (ex P. IV 12.33, 37, 39—42)

Vestalis denique, quem poeta (ex P. IV 7) rogat, ut testis sibi sit, se non falsa queri solere, quemque acrem militem depingit, procul dubio antea inter intimos

amicos non fuerat neque Ovidius carmine facta eius immortalia reddidisset (ib. 53 sq.), nisi e testimonio Tiberii legati aliquid boni sibi exspectasset. Verisimile enim est, Vestalem fuisse centurionem illum, quem Tiberius in Thraciam misit, ut nuntiaret regibus Rhescuporidi et Cotyi, ne armis disceptarent (Tac. Ann. II 65). —

Sic singulos laudat amicos, in universum eos laudandi parcior (fortes amici Tr. I 6.15; memores sodales ib. III 8.9; vos quoque, consortes studii, pia turba, poetae ib. V 3.47): e contrario continuo crescente impatientia plus semel tarditatem eorum increpat itaque multum redimit servilis adulationis, quam, ut quivis eodem loco positus, ostendere coactus erat. Primo leviter tantum eos perstringebat ut: „Timor officium cautus compescit" (Tr. III 4b.65), sed cum iam per complures annos officium, quod exspectaverat, spem frustrasset, indignatio vincula omnia rupit et in eos invectus est, qui identidem rogarent: „Quis tibi, Naso, modus lacrimosi carminis?" (Tr. V 1.35), qui libellos carperent, „quod (esset) in his eadem sententia" (ex P. III 9.1), cum tamen nihil magis excusabile esset, nam quamquam

> Et pudet et metuo semperque eademque precari,
> Ne subeant animo taedia iusta tuo.
> (ex P. IV 15.29 sq.);

tamen

> Cum totiens eadem dicam, vix audior ulli.
> (ex P. III 9.39)

Suillius acerbam ironiam legit:

Ut iam nil praestes, animi sum factus amici
Debitor et meritum velle iuvare voco.
(ex P. IV 8.5 sq.)

at versibus vere pulcherrimis indignationem suam expressit ex P. III 7:

Verba mihi desunt eadem tam saepe roganti,
Iamque pudet, vanas fine carere preces....
Quod bene de vobis speravi, ignoscite, amici:
Talia peccandi iam mihi finis erit....
Est tamen utilius, studium cessasse meorum,
Quam, quas admorint, non valuisse preces.
(vs. 1 sq., 9 sq., 35 sq.). —

In universum igitur, contra atque quae de Cicerone exule statuimus, dicendum est verum esse, quod scribit Reichart [1]): „Die milde seines wesens hat ihm die trübsal nicht geraubt, er verräth keine verbitterung, keine ungerechtigkeit gegen seine freunde."

Inimicum unum ei novimus, Ibin, quem, poetam iam exulem infamare et bonis spoliare conantem, ab uxore avunculo Rufo adiutore fortiter repulsum esse supra iam scripsimus. De eius persona nihil notum est.

1) Die sittliche lebensanschauung des P. Ovidius Naso, Potsdam 1867, p. 57.

CAPUT VIII.

DE IPSORUM EXULUM CONATIBUS.

Cicero iam multo ante inflictum malum quietem sibi se emere posse sciebat aut eo, quod optimatium partibus relictis cum triumviris se consociaret, aut vitae se dederet otiosae. Illud vero levitatem, immo proditionem existimabat rationis, quam in re publica gerenda secutus erat, quamquam foret „reditus in gratiam cum inimicis, pax cum multitudine, senectutis otium" (ad Att. II 3.3 supra p. 170). Minui enim sibi auram popularem sentiebat, quam semper apud „bonos" captaverat, favorem plebeculae, „contionalis hirudinis aerarii" (ad Att. I 16.11) parum curans, usque adeo ut „popularem" se dicere ausus esset, cum populi ipsius voluntati et commodo repugnaret in dissuadenda lege agraria [1]). Otii, etiam dignitatis expertis, primum fecit periculum (Cf.

1) de leg. agr. II 9 sq. et passim, Cucheval I 217, 221, 222.

p. 87 sq.), quod cum per brevissimum tantum tempus ferre potuisset, verba sibi dare coepit operam suam forensem principibus viris ingratam non fore, dummodo ipsorum personis parceret. Attamen mox apparebat constantiae suae eum nimis esse confisum, nam in causa Antoniana Caesarem tamquam huius iudicii auctorem aggressus est (Dio 38.10. Cf. Cic. de dom. 41), quo facto mox poenam sibi contraxit. Caesar enim statim Clodium ad plebem traduxit. Iam Cicero agnovit, ut salvus esset, Caesarem sibi conciliandum esse: illum unum plus valere quam totam rem publicam; itaque animo fractus per fratrem Caesarem adiit. Hic vero non sine cautione exulem oratorem redire passus est, qui prius promittere debebat nihil se contra eius voluntatem esse facturum, quod per fratrem fecisse videtur (ad f. I 9.9). Non enim iis, quos Varro malum tricipitinum vocaverat, parere recusabat, dummodo Romam forumque suum revisere liceret. Supra (p. 171) iam cognovimus, eum promissum officium praestitisse scribendo libro, quo Caesaris acta probaret. Ne quis tamen putet hanc oboedientiam gravis servitutis speciem gessisse, nam Caesar cum Cicerone ut cum collega tam in magistratu quam in re litteraria maxima utebatur familiaritate, ita ut iam a. 54 Marcus ad fratrem scriberet se amore Caesaris unice delectari (ad Q. fr. III 5.3) atque etiam poema ad eum institueret (ib. III 1.11).

Quae omnia post exilium demum apparuerunt, nam exul totus ab amicorum subsidio pendebat, cum legum auctoritas Romae adhuc tanta esset, ut quem populus

suffragiis suis expulerat, solus populus revocare posset, licet, ut semper, tunc quoque mobile vulgus paucorum praevalentibus duceretur ingeniis. —

Dimidio saeculo post potestas omnis in unum collata damnatorum condicionem omnino mutavit. Ovidius expertus est legem summam factam esse principis voluntatem, ad damnationem non iam lege opus esse populi suffragiis comprobata: decreto principis homines relegari, eiusdem arbitrio revocari, principem igitur solum molliendum esse, ut qui felicitatem dempsisset, redderet etiam. Cum autem nihil esset, quo facilius animi lenirentur quam laudibus et adulatione, Ovidius minime iis pepercit:

Augusti fidem, clementiam, tolerantiam, iustitiam summam dicit:

Saepe fidem adversis etiam laudavit in armis
Inque suis amat hanc Caesar, in hoste probat.
(Tr. I 5.39 sq.)

Sed tamen in duris remanentem rebus amicum
Quamlibet inviso Caesar in hoste probat,
Nec solet irasci, — neque enim moderatior alter —
Cum quis in adversis, siquid amavit, amat.
(ib. 9 23—26)

Tu veniam parti superatae saepe dedisti,
Non concessurus quam tibi victor erat.
Divitiis etiam multos et honoribus auctos
Vidi, qui tulerant in caput arma tuum, etc.
(Tr. II 43 sqq.)[1])

1) Cf. Am. I 2.51 sq., Monum. Ancyr. I 14: victor omnibus

Cuius in eventu poenae clementia tanta est,
Venerit ut nostro lenior illa metu.
(ib. 125 sq.)

Nulla quidem sano gravior mentisque potenti
Poena est, quam tanto displicuisse viro.
(ib. 139 sq.)

Nec tamen officium nostro tibi (Messalline) carmine factum,
Principe tam iusto posse nocere puto.
Ipse pater patriae — quid enim est civilius illo? —
Sustinet in nostro carmine saepe legi.
(Tr. IV 4.11—14)

Quantaque in Augusto clementia . . .
(ib. 53)

Ergo illum demens in me saevire coegi,
Mitius inmensus quo nihil orbis habet?
Ipsaque delictis victa est clementia nostris
Nec tamen errori vita negata meo est?
(Tr. IV 8.37—40)

Saepe suo victor lenis in hoste fuit.
(Tr. V 2.36)

Caesare nil ingens mitius orbis habet.
(ib. 38)

Sed tua peccato lenior ira meo est.
(ib. 60)

Saepe refert (ipse poeta), sit quanta dei clementia ..
(ib. 4.19)

---

superstitibus civibus peperci, ib. VI 17 (cum ann. Mommsenii), Dio 53.16 (corona civica donatus est ob cives servatos, cf. Ov. Met. I 562, Val. Max. II 8 i. f., Sen. de clem. I 26.5, Plin. n. h. XVI 4,8; Sueton. Claud. 17 et nummos de quibus Mommsen agit l.l.)

. . . nil ingens ad finem solis ab ortu
Illo, cui paret, mitius orbis habet.
(ib. 8.25 sq.)

Utque aliis, quorum numerum comprendere non est,
Caesareum numen sic mihi mite fuit.
(ib. 11.19 sq.)

Cum subit, Augusti quae sit clementia . . . .
. . . . viri mitis . . . .
(ex P. I 2.59, 87)

Non tibi Theromedon crudusve rogabitur Atreus,
Quique suis homines pabula fecit equis:
Sed piger ad poenas princeps, ad praemia velox,
Quique dolet, quotiens cogitur esse ferox:
Qui vicit semper, victis ut parcere posset,
Clausit et aeterna civica bella sera:
Multa metu poenae, poena qui pauca coercet,
Et iacit invita fulmina rara manu.
(ib. 119—126)

Magna tamen spes est in bonitate dei.
(ib. 6.46)

Cur ego posse negem minui mihi numinis iram,
Cum videam mites hostibus (Batoni aliisque) esse deos?
(ex P. II 1.47 sq.)

Mite sed iratum merito mihi numen adora.
(ib. 2.109)

Nec tamen Aetnaeus vasto Polyphemus in antro,
Accipiet voces Antiphatesve tuas:
Sed placidus facilisque parens veniaeque paratus,
Et qui fulmineo saepe sine igne tonat.
Qui cum triste aliquid statuit, fit tristis et ipse,
Cuique fere poenam sumere poena sua est.
(ib. 113—118)

Quanta sit in media clementia Caesaris ira,
Si nescis, ex me certior esse potes.
(ex P. III 6.7 sq.)

Principe nec nostro deus est moderatior ullus
Iustitia vires temperat ille suas.
(ib. 23 sq.)

Desine mitem animum vano infamare timore.
(ib. 43)

Sed sero ira „mitis Caesaris" (ex P. IV 5.32) mollita est:

Coeperat Augustus deceptae ignoscere culpae
Spem nostram terras deseruitque simul.
(ex P. IV 5.15 sq.). —

Augusto mortuo successor rogandus, sed Tiberius quomodo adeundus sit poeta nescit. An clemens futurus non sit dubitat, itaque amicum Tuticanum, qui Tiberii indolem melius noverit, ut viam monstret, orat:

Nec quid agam, invenio, nec quid nolimve velimve,
Nec satis utilitas est mihi nota mea.
Crede mihi, miseros prudentia prima relinquit,
Et sensus cum re consiliumque fugit.
Ipse, precor, quaeras, qua sim tibi parte iuvandus,
Quoque viam facias ad mea vota vado.
(ex P. IV 12.45—50)

Tiberium ipsum alloqui non audet, ut apparet ex ex P. II 1 [1]), quod carmen, quamquam de triumpho Tiberii scriptum, ad Germanicum datum est, deinde ex IV 6.20: sacrae domus, denique ex IV 9.67: gravitas auctoris.

Aut patrem laudans novi imperatoris animum flectere

1) Vid. Wölffel a. l. et Merkel Prolus. p. 398.

conatur (IV 9.125—134), aut Germanico, quem sciebat clementiorem — „Non sinit illa (ara Germanici) sui vanas antistitis umquam Esse preces. (8.25 sq.)" — quemque collegam salutabat (vid. p. 49), ut pro se operam impendat, persuadere temptat.

Laudes, quae Augusto familiaeque eius offeruntur, non tamen uberrimae sunt neque apud Ovidium usque adeo numerosiores quam in scriptis aequalium, ut iudices ad tam severa iudicia permoveri iustum sit, qualia sunt recentiorum complurium, qui libenter Boissierio assentiuntur loquenti de „delirio adulationis" (Opposition p. 154). Severitatis origo est, quod poeta principem etiam vivum ut deum praesentem adorare non desinit. Neque infitiandum est, cum huiusmodi laudationum numerus spectatur, modum eum excessisse. Quod locis compositis facile quivis perspiciet:

Tristium liber I 1.20 (deus) 32 (dei) 71 sq. (fulmina iactat cf. 81: Iovis arma) 74 (deos)
2.4 (deus, comparatur cum Apolline etc.) 12 (irato deo)
3.37 (caelesti viro = 40: deo)
4.22 (magno deo) 26 (Iovem)
5.38 (deus) 44 (numinis) 75 (deus) 78 (Iovis) 84 (dei)
9.4 (deos)
10.42 (offensi dei)

Trist. II 40 (more dei) 54 (praesentem conspicuumque deum) [sed 55: vir maxime, 139: tanto viro]

141 (numen) 573 (numina) [sed 181: pater patriae. cf. Fast. II 131]

Trist. III 1.38 (Iovis) 78 (dive)
2.28 (deus)
5.7 (Iovis) 26 (dei)
6.23 (numinis)
8.13 (numen) 14 (deum)
11.62 (Iovis)

Trist. IV 1.46 (deos)
3.69 (Iovis)
4.19 sq. (aspicitur deus) 88 (deus)
5.20 (deo)
8.50 (numinis) [sed 52: aequalem superis virum]

Trist. V 2.35 (deus) 45 sq. (numina, Iove) [1]
3.31 (percussum fulmine vatem) 46 (Caesareum numen)
4.17 (numen) 19 (dei) 22 (dei)
8.22 (dei) 29 (deum, quibus accessurus et ipse est)
11.25—27: Iure deos, ut adhuc caeli tibi limina claudant, Teque velint sine se, comprecor,

1) Quae sequuntur usque ad 52 (cf. 11.25—27) hodie quoque omnes principes civitatum a laudatoribus suis audiunt, ex antiquis e. g. conferendi sunt: Verg. georg. I 32 Hor. c. I 2.46 Val. Flacc. I 19 Statius Thebaid. init. Plin. Paneg. 11,89 „et innumeri alii" (Burm. a. l.).

esse deum. Optat idem populus.
12.14 (dei)

Ex Ponto I 1.26 (deos) 29 (deorum) 48 (deo) 63 (dis manifestior ipse) 77 (superi)
2.71 (deus) 73 (numen) 105 (praesentia numina) [sed 118: aequandi superis viri]
4.44 (dei) 55 sq. (Caesaribus ... dis veris)
5.70 (dei)
6.26 (magnos deos) 46 (dei)
7.50 (Iove)
9.36 (terrarum dominos .... deos)
10.42 (Caesaris numen)

Ex Ponto II 1.48 (deos)
2.41 (Romana numina) 109 (numen) 122 (deos)
8.2 (deos) 6 (numen) 8 (caelestes) 9 (deos) 15 (numen caeleste) [sed 23: vir inmenso maior virtutibus orbe, 25: saecli decus indelebile nostri, ad ipsum Augustum] 76 (dei)

Ex Ponto III 1.97 (numen) 100 (deos) 163 (Augustum numen)
6.16 (Augustos deos)

Ex Ponto IV 3.56 (summi dei)
4.33 sq. (deos ... cum Iove Caesar)

6.17 (post mortem: caeles recens)
8.63 (quem virtus addidit astris)
9.116 (dei) 127 sq. (superis adscite.. Caesar cf. 129 sq.) 133 (tua numina)
11.3 sq. (caelesti cuspide facta... vulnera nostra)
13.24—26: Adiuta est novitas numine nostra dei,
Nam patris Augusti docui mortale fuisse
Corpus, in aetherias numen abisse domos.

Videmus Ovidium de Augusto non ubique tamquam de deo locutum esse (Tr. II 55, 139, 181; IV 8.52; ex P. I 2.118; II 8.23), quod factum non esset, si talibus offendi posse principem putasset. Erat autem vivi haec apotheosis nihil nisi officiosa loquendi formula, veluti Francogalli olim Ludovicum regem suum „Le Roi-Soleil" appellare solebant. —

Eandem adulationem deprehendimus, ubi familia imperatoria memoratur.

Universa vocatur: sacra domus (ex P. IV 6.20) mitissima numina, superi, dei, publica numina (ib. 8.51, 56, 58, 67) numina iam facto non leviora deo (ib. 9.108) dei (ib. 13.47).

Livia, quam uxor Nasonis omnes per annos coluit (Tr. I 6.25) et quae sola digna est tali marito (ib. II 162), ipsa quoque dea fit:

ex Ponto I 4.55 sq.: Turaque Caesaribus cum coniuge Caesare digna, Dis veris, memori debita ferre manu!
II 8.43: conveniens ingenti nupta marito
III 1.125: femina princeps, 145: Iuno, 150: ad non mortales bracchia tende pedes, 155 sq.: sentiet illa Te maiestatem pertimuisse suam [Clementiam eius poetam non magni aestimasse, apparet ex vs. 129 sqq.]
IV 13.29 sq.: (docui) Esse pudicarum te Vestam, Livia, matrum Ambiguum nato dignior anne viro.

Verumtamen poeta „delirans in adulando" Liviae maiorem honorem non habuit quam urbes Asiae et Hispaniae, quae delubrum ei dicaverunt (Tac. A. IV 15 et 37). —

Tiberius, cuius animum minime affabilem nimisque constantem flectere atque sibi conciliare se posse, ne cogitasse quidem videtur, raro modesteque adulatione petitur (Cf. p. 212 sq.). Longius tamen provectum esse arbitror **Merkelium** (prolus. p. 397 sq.), qui tecte Ovidium Tiberium comparasse cum saevis tyrannis contendat, ad quod demonstrandum attulit: Tr. III 11.39 sqq., Metam. XV 836, Tr. II 166, ex P. II 8.37—42.

Tiberii virtute bellica atque victoria de Germanis merito celebrata (Tr. II 171, 229; III 12.46; IV 2), Ovidius eum, quem Augustus sibi potestate et honore aequaverat, adulatione deo assimulare incipit. Est ei unus ex Caesaribus, qui ex P. I 4.55 adorantur; hostibus

„mitis deus" dicitur ib. II 1.48, sed hoc loco, ut II 2.41 (Romana numina), 122 (deos), cum Augusto iunctus. Quae autem ib. 8.37—42 laus profertur, immodica certe appellanda non est (Vid. Merkelium l.l.) neque haec verba nimiam produnt futurae clementiae spem:

> Et tua, si fas est, a Caesare proxime Caesar,
> Numina sint precibus non inimica meis:
> Sic fera quam primum pavido Germania vultu
> Ante triumphantes serva feratur equos:
> Sic pater in Pylios, Cumaeos mater in annos
> Vivant, et possis filius esse diu.

Cum IV 7 Vestalis rogatur, ut de misero poetae statu nuntiet, Tiberio iam principi haec mandata destinata sunt, sed ipsius ne nomen quidem edere ausus est.

IV 9 Graecino consulatum gratulatur Ovidius:

> Multiplicat tamen hunc gravitas auctoris honorem,
> Et maiestatem res data dantis habet.
> Iudiciis igitur liceat Flaccoque tibique
> Talibus Augusti tempus in omne frui.
> (67—70)

> Et tamen haec (mala nostra) tangent aliquando Caesaris aures:
> Nil illum, toto quod fit in orbe, latet.
> (125 sq.)

De eodem Tiberio:

> (Docui) Esse parem virtute patri, qui frena coactus [1])
> Saepe recusati ceperit imperii.
> (ib. 13.27 sq. Cf. Tac. A. I 12).

> Quod (i. e. salus mea) quoniam in dis est, tempta lenire precando
> Numina, perpetua quae pietate colis.
> (ib. 15.23 sq.)

1) Alii: rogatus.

Quibus quamquam mea quidem sententia Merkelii iudicium minime probatur, non tamen iis adducimur, ut consentiamus cum Boissierio (Oppos. p. 158): „Après quelques moments de découragement il se remettait à flatter et à prier, comme si l'âme cruelle et dédaigneuse de Tibère pouvait être sensible à la prière et aux flatteries". —

Germanicum quoque, quem propiorem sibi ac benevolentiorem iudicabat, adulatione permovere studuit, ut apud Augustum — et apud Tiberium postea — patronus sibi esset. Illum tamen ne uxori quidem contra arbitrium suum indulgentem scire poterat [1]). Eloquentiam „oris caelestis" Germanici supra modum extollit ex P. II 5.47—54. Suillius cum scripsisset se gratia, qua apud Germanicum frueretur, fretum pro Ovidio verba facturum „si posset superos lenire rogando" (ex P. IV 8.3), Ovidius scribens:

> Di tibi sunt Caesar iuvenis. tua numina placa.
> Hac certe nulla est notior ara tibi.
> (vs. 23 sq.)

significat non sibi deum esse Germanicum, quod porro declarat, ubi Caesarem iuvenem ut strenuum bellatorem alloquitur eundemque magnum poetam, cui tamen aliorum laudes non inutiles sint (vs. 31—88). In fine demum epistulae ex mente denuo Suilli, ut illa vota sua ad „caelestia numina" perferat, orat.

1) Sueton. Aug. 84: Sermones quoque cum singulis atque etiam cum Livia sua graviores nonnisi scriptos et e libello habebat, ne plus minusve loqueretur ex tempore.

Neque cum (ib. 13.31 sq.) Getico sermone domum augustam se celebrasse dicit, Caesares iuvenes inter immortales recipit.

Hisce libertatis, ne dicam superbiae, signis magis reconditis multoque contrariis rarioribus aut non observatis aut contemptis omnes critici, quorum quidem iudicia mihi innotuerunt, mirati ad tantam humilitatem tantamque nequitiam Ovidium delapsum esse, propensi sunt ad accusationi Victorii subscribendum: „Ovidius vita et moribus enervatus." Si quis poetam ab hoc crimine, quia iniustum putet, defendere velit, melius propositum assequi non poterit quam instituenda comparatione, quae fuerint acta et dicta Senecae exulis, cui non tantum poetae sed etiam philosophi nomen tuendum erat. Id quod nos quoque, quamvis satis securi de existimatione Ovidiana, faciemus. Sed prius notandum est, Ovidium non tantum exulem imperium et potestatem Augusti celebrasse, sed iam iuvenem imperatoriam domum numenque Augustum laudibus extulisse (a. a. I 177 sqq., imprimis 203: „Marsque pater Caesarque pater, date numen eunti") idque ipsum in Metamorphosibus facientem subita clade afflictum esse:

Invenies vestri praeconia nominis illic
Invenies animi pignora multa mei.
(Tr. II 65 sq.)

Aspicies, quantum dederis mihi pectoris ipse,
Quoque favore animi teque tuosque canam.
(ib. 561 sq.)

Conferatur:

Hoc duce si dixi felicia saecula proque

Caesare tura pius Caesaribusque dedi:
Si fuit hic animus nobis, ita parcite divi!
(Tr. I 2.103—105)

At aliorum acta eum defendent. Aequalium primum quaedam citare volo, quibus clementia principis opus non erat, ut ex barbaria redire iis liceret [1]).

Propertius carmen III 4 (IV 3 M.) ita incipit:

Arma deus Caesar dites meditatur ad Indos.

et de Augusto denuo tamquam de deo:

et lacrimas vidimus ire deo.
(V 11.60)

Vergilius, cum ei Octavianus praedium paternum servavit vel restituit, exclamat:

O Meliboee, deus nobis haec otia fecit,
Namque erit ille mihi semper deus; illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
(Ecl. I 6 sqq.)

(Une apothéose bien prématurée au lendemain des proscriptions, Boissier Oppos. 131) et planius etiam loquitur in Georgicis (I 24—42: „votis iam nunc adsuesce vocari") et in Aeneide (I 289—291):

Hunc tu olim caelo, spoliis Orientis onustum,
Accipies secura; vocabitur hic quoque votis.
Aspera tum positis mitescent saecula bellis.

1) Cf. Wölffel Ovid's Klaglieder p. 1976, Boissier religion romaine I 109—186 (l'apothéose impériale), id. Opposition p. 130—132, Sellar the Roman poets of the Augustan age I² Virgil Oxford 1883 p. 14—21, Owen Tristia I p. XX ann.

Horatio Augustus mortuus cum deis videtur accumbere:

Hac arte Pollux et vagus Hercules
Enisus arcis attigit igneas,
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibet ore nectar.

(carm. III 3.9—12),

praesentem deum adorat epist. II 1. 15—17:

Praesenti tibi maturos largimur honores,
Iurandasque tuum per nomen ponimus aras,
Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.

Velleius (II 123 i. f.) de Augusto moriente: „animam caelestem caelo reddidit."

Valerius Maximus autem in praefatione operis sui aeque adulatorie „delirat" atque Ovidius (Tr. IV 4.20, Boissier Oppos. 154): „Cetera divinitas opinione colligitur, tua (Tiberii) praesenti fide paterno avitoque sideri par videtur."

Praemium tamen in adulatorum certamine non Romanus, sed Germanus ille reportasse videtur, qui petiit, liceret sibi Albim transgredi, ut Tiberium Caesarem videret, quique diu eum contemplatus: „Hodie" inquit „vidi deos: nec feliciorem ullum vitae meae aut optavi aut sensi diem" (Vell. II 107).

Neque scriptis tantum sed statuis etiam signisque publice divinitas Augusti insignita est, ut apparet ex statua notissima Augusti loricati, cuius pedes nudi deum vel semideum indicant (Jahn ap. Sellar p. 18) et ex aliis et ex gemma Augustea, depicta apud Seeckium, ubi Augustus Iovis fert personam. Qua re hodiernis hominibus nihil vilius esse videtur, nihil abiectius, sed

cum Sellario (p. 14) credo, in his multum valuisse „the sense of gratitude for the rest and prosperity enjoyed under Augustus, the admiration for the real power of intellect and character which made him the most successful ruler that the world has ever seen, the confidence in the unbroken good fortune which marked all his earlier career." Neque negari potest, Ovidii plus etiam quam aliorum damnatorum interfuisse, ut benevolentiam principum sibi conciliaret, quippe cui gravius etiam supplicium imminere videretur (Cf. p. 141 sqq.), quem metum ostendit:

ego perditus ensem
Haesurum iugulo iam puto iamque meo.

(Tr. I 1.43 sq.)

quodque dedit, cum volet ipse feret.

(ib. 2.68). —

Iam vero de Seneca videamus, quem tales excusationes non habuisse mox apparebit.

Rerum scriptores (excepto uno Philostrato in Vit. Apoll. V 27 et 32) Claudii corporis mentisque facultates tam atris coloribus nobis depinxerunt, virtutes autem — iuris et historiae artes, popularem civilitatem (Lehmann p. 142 sqq.) — tantopere in ridiculum verterunt, ut iustum de eo iudicium ferri iam nequeat. Sin autem duce aliquo ex recentioribus historicis facta omnia, quae de eius regno nota sunt, accurate perlustro, sanum et prudentem rectorem, quamvis ingenii viribus neque Augustum neque Tiberium adaequantem, agnoscere mihi videor [1]). —

1) Cf. Ball the Satire of Seneca etc. Introduction I.

Seneca postquam in consolatione ad Helviam matrem „verbis doctorum" (Ov. ex P. IV 11.12) eam seque ipse consolari sibi visus est, in altera, quam exul scripsit, consolatione scopum plane diversum attingere studuit. Non enim lenire alicuius dolorem in animo habebat, sed gratiam sibi captare tam Polybii, potentissimi Claudii aulici, quam ipsius imperatoris. Quae ad Polybium dedit, hic praetermittere licet, Claudii vero adulatio qualis quantaque fuerit, loci non pauci indicabunt: „Multa tibi (Polybi) non licent, quae humillimis et in angulo iacentibus licent. Magna servitus est magna fortuna.... Non licet tibi, inquam, flere, ut multos flentes audire possis. Ut periclitantium et ad misericordiam mitissimi (cf. 16.6; 17.3) Caesaris pervenire cupientium lacrimae siccari possint, tibi tuae ante siccandae sunt (6.4. Ecce verum libelli propositum male dissimulatum!). Caesarem cogita. Vide, quantam huius in te indulgentiae fidem, quantam industriam debeas.... Caesari quoque ipsi, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent: omnium somnos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo se Caesar orbi terrarum dedicavit, sibi se eripuit. Et siderum modo, quae inrequieta semper cursus suos explicant, numquam illi licet nec subsistere nec quicquam suum facere.... Fas tibi non est salvo Caesare de fortuna queri: hoc incolumi salvi tibi sunt tui, nihil perdidisti, non tantum siccos oculos tuos esse, sed etiam laetos oportet (7.1—4). Tunc Caesaris tui opera, ut per

omnia saecula domestico narrentur praeconio, quantum potes, compone. Nam ipse tibi optime formandi condendique res gestas et materiam dabit et exemplum (8.2 cf. Sueton. Claud. 41 sq.). Ne itaque invideris fratri tuo: quiescit. Tandem liber, tandem tutus, tandem aeternus est. Superstitem Caesarem omnemque eius prolem.... habet (9.7). Non desinam totiens tibi offerre Caesarem. Illo moderante terras et ostendente, quanto melius beneficiis imperium custodiatur quam armis, illo rebus humanis praeside non est periculum, ne quid perdidisse te sentias.... Quotiens lacrimae suboriuntur oculis tuis, totiens illos in Caesarem dirige: siccabuntur maximi et clarissimi conspectu numinis (12.3). Nec dubito, cum tanta illi adversus omnes suos sit mansuetudo tantaque indulgentia, quin iam multis solatiis tuum istud volnus obduxerit, multa, quae dolori obstarent tuo, congesserit (ib. 4). Di illum deaeque terris diu commodent. Acta hic divi Augusti aequet, annos vincat.... Sera et nepotibus demum nostris dies nota sit, qua illum gens sua caelo adserat (ib. 5)." Nonne est hoc carnificis virgas exosculare? Neque minus „adulandi delirium" ostendunt capita duo, quae sequuntur (13 et 14), ubi ingenue fatetur, se non vereri, „ne se unum transeat, sive innocentem se scierit esse, sive voluerit (13.3)" princeps, „qui publicum omnium hominum solatium est (14.1), lassis hominum rebus datum (16.6)", quique „complures multorum iam annorum ruina obrutos effoderit et in lucem reduxerit." Attamen revera Claudius Senecam transiit, cum nonnullis aliis post trium-

phum Britannicum commeare in urbem permiserit (Sueton. Cl. 17).

Ne quis autem faustum illud iudicium — quod eo quidem invito emanavit, nam auctore Dione (Cf. p. 55 sq.), cum eum puderet „subito defecisse et ex tanta orationis magnitudine (in consolatione ad matrem) descivisse" (ad Pol. 11.6), consolationis ad Polybium memoriam delere sedulo studuit — sincerum putaret, ipse Seneca cavit, cum in Claudium mortuum Apocolocyntosin suam scriberet. Acerbius fortasse se expressit eo quod exul tam diu fuerat, nam

Strangulat inclusus dolor atque exaestuat intus
Cogitur et vires multiplicare suas,
(Ov. Tr. V 1.63 sq.)

non ita tamen, ut apud historicos non inveniantur loci qui Senecae enuntiata omni ex parte confirment (Vide commentarios, imprimis Bücheleri, ad Ludum). Quae quidem similitudo non probat crimina vera esse!

Qui decem annis ante exemplum bene scribendi Polybio dabat (ad Pol. 8.2), iam fatuus est (Lud. 1, 7, 8), cui Baba et Augurinus idonei convictores erunt (ib. 3); qui „optime formabat condebatque res gestas" iam in caelo „sperat futurum aliquem historiis suis locum (Lud. 5)", quia scilicet in terris invenire non potuerit. Polybio Claudius „iam omnia exempla, quibus ad animi aequitatem compellereris, tenacissima memoria rettulit. Iam omnium praecepta sapientum adsueta sibi facundia explicuit (ad Pol. 14.1)", post mortem per iocum dicitur

omnes mortales sapientia antecellere (Lud. 9), atque oblitus esse omnium amicorum familiariumque quos interfecerat [1]).

Princeps, qui vel nocenti ignoscere volebat (ad Pol. 13.3), iam „antequam de causa cognoscebat, antequam audiebat, damnabat (Lud. 10)" et merito in iudicio Claudiano apud inferos „Aeacus homo iustissimus, vetat (patronum Claudii respondere) et illum altera tantum parte audita condemnat (ib. 14)". Mitissimus ille princeps (ad Pol. 6.4; 16.6; 17.3) „ex cuius virtutibus clementia primum obtinet locum (13.2)" secundum eundem Senecam „uno gestu homines decollare solet (Lud. 6)", consanguineos, amicos multosque alios, „quorum numerus iniri non potuit", interficit (ib. 11, 13, 14). Mortuo illo, qui „publicum omnium solatium, lassis hominum rebus datum (ad Pol. 14.1; 16.6)" audiebat, „populus Romanus ambulabat tamquam liber (Lud. 12)."

Quem „numen" Seneca (ad Pol. 12.3) vivum compellarat, eundem mortuum caelo eiectum apud inferos liberti famulum fingit (Lud. 15) [2]). In Consolatione

1) Memoria prudentiaque Claudii revera non magnae fuisse videntur, nam et Tacitus et Suetonius de iis similia tradunt: Tac. A. XIII 3: „postquam ad providentiam sapientiamque flexit (Nero in laudatione Claudii), nemo risui temperare"; Sueton. Cl. 39: „in eo mirati sunt homines et oblivionem et inconsiderantiam" (Cf. Tac. A. XI 38); verum non ita excusatur Senecae orationis inconstantia.

2) Neque hoc inepte, nam, si quis alius imperator, Claudius „cum esset civium dominus, libertorum erat servus" (Plin Paneg.

(12.3) cum precatus esset: „sera .... dies .... sit .... qua illum gens sua caelo adserat," in Ludo (10 sq.) Augustum vehementissime resistentem inducit, quominus Claudius deus fiat [1]).

Quis talia exspectaret a sapiente illo, qui magister morum aequalibus suis et esse voluit et fuit [2])? Neque postea eum mores suos mutasse inde efficitur, quod post alteros decem annos quem tunc in Ludo et in libris de clementia celebrabat Neronem de medio tollendum censuit (Cf. Gercke p. 319).

Nonne melius poeta quam philosophus generis humani dignitatem tutatus est? —

At non solum adulatione Ovidius usus est, ut Augusto persuaderet supplicio nimis gravi se esse affectum. Contra crimina vetera — Artem dicit — se defendit imprimis Trist. l. II (Cf. ex P. III 3.49 sqq.), contendens se vitam pure egisse usque ad „errorem" illum, quem infitiari numquam conatur:

Vita tamen tibi nota mea est. scis artibus illis
Auctoris mores abstinuisse sui:
Scis vetus hoc iuveni lusum mihi carmen, et istos,
Ut non laudandos, sic tamen esse iocos.

(Tr. I 9.59—62).

88. Cf. Sueton. Cl. 28 sq Dio 60.29 Iuven. XIV 329 sqq. alios).

1) Ball the Satire of Seneca etc. pag. 210.

2) Cf. Martha les moralistes p. 16—25, „auf zwei Stühlen aber zu sitzen, das war die Characterfestigkeit Seneca's [Dio LXI 10] (Bücheler Symbola etc. p. 35)".

... sine labe domus.

(Tr. II 110)

Sic ego delicias et mollia carmina feci,
Strinxerit ut nomen fabula nulla meum.
Nec quisquam est adeo media de plebe maritus,
Ut dubius vitio sit pater ille meo.
Crede mihi, distant mores a carmine nostro —
Vita verecunda est, Musa iocosa mea.

(ib. 349—354)

Nec mihi, quod lusi vero sine crimine, prodest,
Quodque magis vita Musa iocata mea est.

(Tr. III 2.5 sq.)

Cum tamen hic essem, minimoque accenderer igni,
Nomine sub nostro fabula nulla fuit.

(Tr. IV 10.67 sq.)

Nos quoque praeteritos sine labe peregimus annos:
Proxima pars vitae transilienda meae.

(ex P. I 2.143 sq.)

Nec mea, si tantum peccata novissima demas,
Esse potest domui vita pudenda tuae.

(ex P. II 2.105 sq.)

Vita prior vitio caret et sine labe peracta est.

(ib. 7.49)

Sive velis, qui sint mores inquirere nostri,
Errorem misero detrahe, labe carent.

(ex P. IV 8.19 sq.)

In Scythia quoque sibi constitit:

Ille vetus solito perstat in ore pudor.

(ib. 9.92)

Tam felix utinam quam pectore candidus essem!

(ib. 14.43)

(12.3) cum precatus esset: „sera .... dies .... sit .... qua illum gens sua caelo adserat," in Ludo (10 sq.) Augustum vehementissime resistentem inducit, quominus Claudius deus fiat [1]).

Quis talia exspectaret a sapiente illo, qui magister morum aequalibus suis et esse voluit et fuit [2])? Neque postea eum mores suos mutasse inde efficitur, quod post alteros decem annos quem tunc in Ludo et in libris de clementia celebrabat Neronem de medio tollendum censuit (Cf. Gercke p. 319).

Nonne melius poeta quam philosophus generis humani dignitatem tutatus est? —

At non solum adulatione Ovidius usus est, ut Augusto persuaderet supplicio nimis gravi se esse affectum. Contra crimina vetera — Artem dicit — se defendit imprimis Trist. l. II (Cf. ex P. III 3.49 sqq.), contendens se vitam pure egisse usque ad „errorem" illum, quem infitiari numquam conatur:

Vita tamen tibi nota mea est. scis artibus illis
Auctoris mores abstinuisse sui:
Scis vetus hoc iuveni lusum mihi carmen, et istos,
Ut non laudandos, sic tamen esse iocos.

(Tr. I 9.59—62).

———

88. Cf. Sueton. Cl. 28 sq Dio 60.29 Iuven. XIV 329 sqq. alios).

1) Ball the Satire of Seneca etc. pag. 210.

2) Cf. Martha les moralistes p. 16—25, „auf zwei Stühlen aber zu sitzen, das war die Characterfestigkeit Seneca's [Dio LXI 10] (Bücheler Symbola etc. p. 35)".

... sine labe domus.

(Tr. II 110)

Sic ego delicias et mollia carmina feci,
Strinxerit ut nomen fabula nulla meum.
Nec quisquam est adeo media de plebe maritus,
Ut dubius vitio sit pater ille meo.
Crede mihi, distant mores a carmine nostro —
Vita verecunda est, Musa iocosa mea.

(ib. 349—354)

Nec mihi, quod lusi vero sine crimine, prodest,
Quodque magis vita Musa iocata mea est.

(Tr. III 2.5 sq.)

Cum tamen hic essem, minimoque accenderer igni,
Nomine sub nostro fabula nulla fuit.

(Tr. IV 10.67 sq.)

Nos quoque praeteritos sine labe peregimus annos:
Proxima pars vitae transilienda meae.

(ex P. I 2.143 sq.)

Nec mea, si tantum peccata novissima demas,
Esse potest domui vita pudenda tuae.

(ex P. II 2.105 sq.)

Vita prior vitio caret et sine labe peracta est.

(ib. 7.49)

Sive velis, qui sint mores inquirere nostri,
Errorem misero detrahe, labe carent.

(ex P. IV 8.19 sq.)

In Scythia quoque sibi constitit:

Ille vetus solito perstat in ore pudor.

(ib. 9.92)

Tam felix utinam quam pectore candidus essem!

(ib. 14.43)

Porro profitetur se ambitionem, qua ductus antea altiora petisset, iam totam amisisse:

Donec eram sospes, tituli tangebar honore,
Quaerendique mihi nominis ardor erat.
(Nunc) satis a media sit tibi plebe legi.
(Tr. I 1.53 sq., 88)

Nominis et famae quondam fulgore trahebar.
(Tr. V 12.39).

Cum plebe („moderate, ordinary people, Owen ad Tr. I 1.88) enim sola in posterum consuetudinem habebit — ut iam antea se habuisse Augustum admonet (II 351) — ibique sibi quaeret legentes:

Sumite plebeiae carmina nostra manus!
(Tr. III 1.82)

Nam obfuit ambitio:

Usibus edocto si quicquam credis amico,
Vive tibi et longe nomina magna fuge.
Vive tibi, quantumque potes praelustria vita:
Saevum praelustri fulmen ab igne venit....
Haec ego si monitor monitus prius ipse fuissem,
In qua debebam, forsitan Urbe forem....
Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, et intra
Fortunam debet quisque manere suam....
Vive sine invidia, mollesque inglorius annos
Exige, amicitias et tibi iunge pares. [1])
(Tr. III 4.3—6, 13 sq., 25 sq., 43 sq.)

Neque dubito, quin praeceptis et admonitionibus suis

1) Cf. Wölffel p. 1977, Boissier Oppos. 128, Ribbeck II p. 314, supra p. 40.

revera poeta obtemperasset, si redire ei licuisset, in hac quidem re, ut vidimus, Ciceronis similis. Seneca vero, cum e more suo (vid. indicem Haasii) in consolatione ad Helviam matrem per tota tria capita (c. 10—12) vehementius et copiosius de contemnendis honoribus luxuria divitiisque disputans, se occupationes potius quam opes perdidisse iactasset, statim redux clare ostendit ambitionem quidem, quod vitium in consolatione ad Polybium (4.2) obiter tantum atque exempli instar inter ea nominarat, quae homini larga flendi et assidua materia sunt, se non exuisse. Divitias autem congestas adversariis eius tam aequalibus quam posterioribus ansam praebuisse ad philosophum aggrediendum, res est notissima. Atque difficillima defensio erat et ipsi et iis, quibus postea visum est virum, qui tantam sapientiam prae se gereret, exemplum etiam continentiae integritatisque in privata vita esse oportere.

CAPUT IX.

QUO ANIMO EXILIUM PERTULERINT INQUIRITUR.

Restat ut inquiramus quo animo Cicero, Ovidius. Seneca exilium tolerarint, ubi quaesierint infortunii solatia, num cito spem amiserint, quo eos compulerit salus desperata.

Ciceroni brevitas exilii et iam mox paratus reditus, quo omnes eius cogitationes occupabantur, consolationis sive e philosophia sive e labore quaerendae copiam non fecit. Quo evenit ut animus eius in unis vicissitudinibus contemplandis defixus inter spem desperationemque fluctuans cum variante fortuna ipse quoque mutaretur. Spes autem cum ea non esset, quae eum proficiscentem prosecuta erat (ad Att. III 7.2) — triduo summa cum gloria se esse rediturum (ad Q. fr. I 4.4) — aliunde salutem exspectare debebat. Primo motum rei publicae, qui discidio Pompei et Clodii futurus esse dicebatur,

sibi profuturum sperabat. Sed iam brevi post scripsit: „Motum in re publica non tantum ego impendere video, quantum tu aut vides aut ad me consolandum affers; Tigrane enim neglecto sublata sunt omnia (ad Att. III 8.3)." Quae spes ubi evanuit, Atticus statim aliam ostendere coepit, quae amico tamen non arridebat: „Me tuae litterae sustentant, ex quibus, quantum tu ipse speres, facile perspicio; quae quidem tamen aliquid habebant solatii ante, quam eo venisti a Pompeio: ‚nunc Hortensium allice et eiusmodi viros‘ (ib. 9.2)."

Novam tamen viam ingredi Cicero non omnino abnuit: „Nunc si ista sunt, quae speras, sustinebimus nos et spe, qua iubes, nitemur (ib.)." Sed magis officiose haec quam vere dicta puto, quia eodem die ad fratrem ita scribit: „Scribunt ad me quidem multi multa, et se sperare demonstrant, sed ego, quid sperem non dispicio, cum inimici plurimum valeant, amici partim deseruerint me, partim etiam prodiderint (ad Q. fr. I 3.5)."

Quo diutius autem morabatur eventus, eo magis spes eius imminuta est: „Tuae quidem litterae, quo saepius a me leguntur, hoc spem faciunt mihi minorem, quod, cum lectae sunt, tum id, quod attulerant ad spem, infirmant, ut facile appareat te et consolationi servire et veritati; itaque te rogo plane, ut ad me, quae scis, ut erunt, quae putabis, ut putabis, ita scribas (ad Att. III 16). Cetera, quae ad me eisdem litteris scribis de nostra spe, intellego esse languidiora, quam alii ostendunt (17.2). Quod eiusmodi mihi litterae a vobis afferebantur, ut aliquid ex iis esset exspectandum, spe et cupiditate

Thessalonicae retentus sum; postea quam omnis actio huius anni confecta nobis videbatur.... (19.1).... sum graviter commotus, quod illa ipsa spes exigua, quae erat, videretur esse sublata (24.1). Perspicio nobis in hac calamitate tabescendum esse; neque enim, si ulla spes salutis nostrae subesset, tu pro tuo amore in me hoc tempore discessisses (25.1)." Et in ultima de exilio ad Atticum epistula (27): „Ex tuis litteris et ex re ipsa nos funditus perisse video."

Exul igitur cum neque admonitionibus amicorum et familiarium, Attici imprimis (cf. p. 152), parens aequum animum sibi compararet neque res suae prospere succederent, tantopere increvit desperatio, ut homines fugere se velle diceret: „Odi enim celebritatem, fugio homines, lucem aspicere vix possum (ad Att. III 7.1). Ego propter viae celebritatem.... non commovi me adhuc Thessalonica, sed iam extrudimur.... ab ipso loco minime apposito ad tolerandam in tanto luctu calamitatem (14.2). Statuam in tuosne agros confugiam, ut neque videam homines, quos nolim.... (15.6). Celebritas mihi odio est... ero cum paucis, multitudinem dimittam (19.1). Ego volebam loco magis deserto esse in Epiro.... si offendet me loci celebritas, alio me conferam (ad f. XIV 1.3 et 7)."

Quin etiam vitae se taedere et de fine vitae facienda saepe se cogitare scribit [1]) et amicis irascitur, quod

1) Iam in ipso certamine cum Clodio vitae eum pertaesum esse videtur, si quidem locum corruptum ad Att. II 24.4 Lambinus bene restituit: „nihil me infortunatius, nihil fortunatius est Catulo,

prohibuerint quominus idoneo tempore id faceret (Cum ad familiam litteras dat, se ipsorum causa se continuisse contendit [1])): „Utinam illum diem videam, cum tibi agam gratias, quod me vivere coegisti! Adhuc equidem valde me paenitet (ad Att. III 3). Ne, mi Pomponi, valde paenitet vivere: qua in re apud me tu plurimum valuisti (ib. 4). Quod utinam minus vitae cupidi fuissemus! Certe nihil aut non multum in vita mali vidissemus. Quod si nos ad aliquam alicuius commodi aliquando recuperandi spem fortuna reservavit, minus est erratum a nobis; sin haec mala fixa sunt, ego vero te quam primum, mea vita, cupio videre et in tuo complexu emori (ad f. XIV 4.1). Honestissime viximus, floruimus; non vitium nostrum, sed virtus nostra nos afflixit. Peccatum est nullum, nisi quod non una animam cum ornamentis amisimus. Sed si hoc fuit liberis nostris gratius, nos vivere, cetera, quamquam ferenda non sunt, feramus (ib. § 5). Quod me ad vitam vocas, unum efficis, ut a me manus abstineam, alterum non potes, ut me non nostri consilii vitaeque paeniteat.... Hoc affirmo, nemini mortem magis optandam fuisse. Cuius oppetendae tempus honestissimum praetermissum est; reliqua tempora

cum splendore vitae, tum mortis tempore." Catulus enim modo mortuus erat, Cicero vero illud in summa gloria moriendi tempus praetermisit, cuius nimii vitae amoris postea acriter se paenituisse dicit.

1) Vid. ll. cit. ex ad Q. fr. et ad f. et locum ad Att. III 19.2, ubi insolitum illud in initio (§ 1) „vobis" fortasse indicat epistulam etiam aliis responsum esse destinatam.

sunt non iam ad medicinam sed ad finem doloris (Cf. pro Cluentio 171: Quid eripit mors praeter sensum doloris?) (ad Att. III 7.2). In hunc me casum vos vivendi auctores impulistis (9.1). Quod optimo tempore facere non licuit, minus idoneo fiet (ib. § 2). Me a te videri nolui.... vidisses.... quandam effigiem spirantis mortui. Atque utinam me mortuum prius vidisses aut audisses! Utinam te non solum vitae, sed etiam dignitatis meae superstitem reliquissem! Sed testor omnes deos me hac una voce a morte esse revocatum, quod omnes in mea vita partem aliquam tuae vitae repositam esse dicebant: qua re peccavi scelerateque feci. Nam si occidissem, mors ipsa meam pietatem amoremque in te facile defenderet (ad Q. fr. I 3.1 sq.). Ego tamen, quam diu tibi opus erit, si quid periculi subeundum videbis, vivam; diutius in hac vita esse non possum: neque enim tantum virium habet ulla aut prudentia aut doctrina, ut tantum dolorem possit sustinere (Fraterne eum consolari conatus est recensitis clarissimorum virorum patientia et philosophorum de tolerando dolore praeceptis?). Scio fuisse et honestius moriendi tempus et utilius.... nec fieri potest, me diutius, quam aut tuum tempus aut firma spes postulabit, in tam misera tamque turpi vita commorari (ib. § 5 sq.). Hic utrum tandem sum accusandus, quod doleo, an, quod commisi ut haec.... certe vivus non amitterem? (ad Att. III 10.2; locus corruptus [Tyrrell] aut neglegenter scriptus [Boot].) Scio nos nostris multis peccatis in hanc aerumnam incidisse: ea si qui casus aliqua ex parte correxerit, minus moleste

feremus nos vixisse et adhuc vivere (14.1). Quintum fratrem meum fac diligas, quem ego miser si incolumem relinquo, non me totum perisse arbitrabor (13.2). Lacrimae meorum me ad mortem ire prohibuerunt; quod certe et ad honestatem et ad effugiendos intolerabiles dolores fuit aptissimum.... Ego vitam, quoad putabo tua interesse aut ad spem servandam esse, retinebo (ad Q fr. I 4.4 sq.).... Sin autem spei (bonorum sc. restitutorum) nihil est, quae est mihi vita? (ad Att. III 15.6). Si ea (salus) praecisa est hanc miserrimam vitam vel sustentabo vel, quod multo est melius, abiecero.... Sed tamen, quoniam coeptum est agi, quoquo modo coeptum est et quacumque de causa, non deseram neque optimi atque unici fratris miseras ac luctuosas preces nec Sestii ceterorumque promissa nec spem aerumnosissimae mulieris Terentiae nec miserrimae Tulliolae obsecrationem et fideles litteras tuas: mihi Epirus aut iter ad salutem dabit, aut quod scripsi supra (19.1 et 2; cf. p. 235 ann.). Mihi ex agro tuo tantum adsignes, quantum meo corpore occupari potest (ib. § 3). Si perficitis quod agitis, me ad vos venire oportet: sin autem — sed nihil opus est reliqua scribere (ad f. XIV 3.5). Sed tamen quam diu vos eritis in spe, non deficiam, ne omnia mea culpa cecidisse videantur (ib. § 2). Te oro, ut, quibus in rebus tui mei indigebunt, nostris miseriis ne desis (ad Att. III 27). Vide ne, cum velis revocare tempus omnium reservandorum (verba corrupta), cum qui servetur non erit, non possis (ad f. V 4.2)" [1]).

1) Cum philosophica sua opera Cicero scriberet, longe alia et —

Forsitan Drumann (V 644, 646 sq.) iure coniecerit, Ciceronem mala sua et desperationem in maius extulisse, ut amici maiore ardore saluti suae studerent, verumtamen facile intellectu est homini tam vano, quam Cicero fuit, aeque grave fuisse honoribus ac vita carere. Itaque consilium Clodio non resistendi et Roma abeundi, si sincere loquitur, ei est „imprudentia" (ad Q. fr. I 4.1), „error" (ad f. XIV 4.1; ad Att. IV 1.1), „stultitia" (ib. III 8.4; ad Q. fr. I 3.6), „amentia" (ad Att. III 15.7), „culpa" (ib. 8.4; ad f. XIV 3.1), „peccatum" (ad f. XIV 4.5; ad Att. III 9.1; 14.1. Cf. ad Q. fr. I 3.2: „peccavi scelerateque feci" [my culpable imprudence, Tyrrell]),

Contra in orationibus, quas post reditum habuit, „turpissimum" illud „consilium" (ad Att. III 15.4), quo „miserius, turpius, indignius nihil" fuerit (ad f. XIV 3.1), multo honestioribus designat nominibus: „Eiciuntur duo, quos videre improbi non poterant, alter per honorem turpissimum, alter per honestissimam calamitatem (pro domo 65)"; „Rem publicam concidere unius discessu quam omnium interitu occidere malui (ib. 96)"; „Servavi rem publicam discessu meo .... unus bis rem publicam

---

licet Geiger Selbstmord p. 25 sq. neget — diversa de morte voluntaria dicebat, fontium scilicet suorum rationes repetens (e. g. de rep. VI c. 14 et 15: „non iniussu eius, a quo ille [animus] est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus assignatum a deo defugisse videamini" Cf. Cato maior § 72 sq.. Contra Tuscul. I 74 sapienti „vincula carceris" rumpendi arbitrium dat. Plura ap. Geiger l.l.)

servavi, semel gloria, iterum aerumna mea (pro Sest. 49)"; „Cum ego me e complexu patriaeque conspectuque vestro eripuissem et metu vestri periculi, non mei... cessissem patriamque, quae mihi erat carissima, propter ipsius patriae caritatem reliquissem (ib. 53)." —

Homo novus, cui, ut nemini fere his turbidis temporibus, fortuna arriserat, et qui, secundum ipsius testimonium, si sibi ante exilium mors obtigisset, nihil aut non multum in vita mali vidisset (ad f. XIV 4.1), subita clade a priore vita usque eo abalienatus est, ut animum quietum sibi parare intra breve tempus minime posset. Quod ut statuamus, subtili et molesta inquisitione opus non est; ipsius verba loquuntur: „Ad te quod scribam nescio (ad Att. III 5). Me vix misereque sustento (ib. 6). Atqui ego, qui te confirmo, ipse me non possum (ad f. XIV 4.5). Ita perturbato sum animo de Quinto, ut nihil queam statuere (ad Att. III 8.3). Ex epistularum mearum inconstantia puto te mentis meae motum videre (ib. § 4). Me et meorum malorum memoria et metus de fratre in scribendo impedit (ib.). Vidisses ... effigiem spirantis mortui .... pigritia fuit et quaedam infinita vis lacrimarum (ad Q. fr. I 3.1 sq.). Nunc si potes, id quod ego, qui tibi semper fortis videbar, non possum, erige te et confirma (ib. § 5). Maerore impedior (ad Att. III 10.3). Desidero me ipsum (15.2). Neque istam mihi ascisco sapientiam, quam nonnulli in me requirebant, qui me animo nimis fracto esse atque afflicto loquebantur e.q.s. (de domo 97)." Sed quae ipse confitebatur, ab aliis dici non vult: „Quod scribis te audire

me etiam mentis errore ex dolore affici, mihi vero mens integra est (ad Att. III 13.2). Inimici mei mea mihi, non me ipsum ademerunt (ib. 5). Quintus frater metuens, credo, defectionem animi mei... (18.2). Scribo me ita dolere, ut non modo a mente non deserar, sed id ipsum doleam, me tam firma mente ubi utar et quibuscum non habere (15.2)." Decimo anno post, sexto post Clodium mortuum, animum suum hoc tempore perturbatum fuisse enixe negat: „Vide (Clodi) quam ista tui latrocinii tela contempserim: iactam et immissam a te nefariam in me iniuriam semper duxi; pervenisse ad me numquam putavi.... Si mihi eripuisses divinam animi mei conscientiam.... si illam mentem, unde haec consilia manarunt.... tum ego accepisse me confiterer iniuriam (Paradoxa § 28 sq.)."

Hisce fidem habendam esse nullam quivis intelleget. Ciceroni exuli animum aequum omnino defuisse pro certo statuere licet. Cum vero quies animi condicio sit sine qua consolatio valere possit nulla, inutilia ei fuerunt cum quae frater ceterique repetierunt exempla veterum, tum quae philosophi Graeci, quos tam ardenter lectitabat, ad animum firmandum potuissent afferre, iis praesertim temporibus, quibus ne privato quidem homini tranquillitatis satis contingeret, ut remotis curis sapientiae colendae propagandaeque daret operam:

Nam neque nos agere hoc patriai tempore iniquo
Possumus aequo animo nec Memmi clara propago
Talibus in rebus communi desse saluti.

(Lucretius I 41—43). —

Ovidio, cui citi reditus spes mentem non irritabat — melius Augusti noverat constantiam — iam statim in longo tranquilloque cursu maritimo rediit animus neque nisi in ipso calamitatis discrimine de morte voluntaria cogitasse videtur. Amici vero et spes futuri prohibuerunt quominus conata perficeret:

Attonitum qui me, memini, carissime, primus
Ausus es adloquio sustinuisse tuo,
Qui mihi consilium vivendi mite dedisti,
Cum foret in misero pectore mortis amor.

(Tr. I 5.3—6)

Hunc amicum Celsum fuisse conici potest ex hisce:

O quotiens vitae custos invisus amarae
Continuit promptas in mea fata manus!

(ex P. I 9.21 sq.)

Inter quos Cottam quoque fuisse significare videtur Tr. V 9.19:

Seminecem Stygia revocasti solus ab unda.

Sed a Spe manum suam retentam esse scribit ex P. I 6.41 sq.:

Me quoque conantem gladio finire dolorem
Arcuit iniecta continuitque manu.

Magna enim spes erat „in bonitate dei" (ib. 46), quam spem Augusto vivo numquam poeta amisit:

Ipse licet sperare vetes, sperabimus usque,
Hoc unum fieri te prohibente potest.

(Tr. II 145 sq.)

Parce, pater patriae, nec nominis immemor huius
Olim placandi spem mihi tolle tui!
(ib. 181 sq.)
Spe trahor exigua, quam tu (Care) mihi demere noli,
Tristia leniri numina posse dei....
Denique non possum nullam sperare salutem,
Cum poenae non sit causa cruenta meae.
(Tr. III 5.25 sq., 41 sq.)
Forsitan hanc ipsam, vivam modo, finiet olim,
Tempore cum fuerit lenior ira, fugam.
(Tr. IV 4.47 sq.)
Nec fore perpetuam sperat sibi numinis iram.
(Tr. V 4.17)
Non est placandi spes mihi nulla dei.
(Tr. V 8.22)
Cum subit, Augusti quae sit clementia, credo
Mollia naufragiis litora posse dari.
Cum video, quam sint mea fata tenacia, frangor,
Spesque levis magno victa timore cadit.
(ex P. I 2.59—62)
Spes quoque, posse mora mitescere principis iram,
Vivere ne nolim deficiamque, cavet.
(ex P. II 7.79 sq.)

Postquam autem triumphus Tiberii de Germania, a cuius celebratione multum exspectaverat

(Dum faciles aditus praebet venerabile tempus:
Sperandum est nostras posse valere preces.
[ex P. III 3.91 sq.]),

veniam non attulit, animus summittitur:

Unde (a Pontica humo) ego si fato nitor prohibente reverti,

Spem sine profectu, Maxime, tolle mihi.
(ib. 5.57 sq.)
Proximus huic gradus est bene desperare salutem,
Seque semel vera scire perisse fide....
Dummodo non nobis hoc Caesaris ira negarit,
Fortiter Euxinis immoriemur aquis.
(ib. 7.23 sq., 39 sq.)

Augusto mortuo quamquam adulatione Germanicum et per eum Tiberium sibi conciliare studet, desperata manet animi condicio, nam

Coeperat Augustus deceptae ignoscere culpae
Spem nostram terras deseruitque simul.
(ex P. IV 6.15 sq.). —

At magno poetae solatium erat illud

Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit libitinam.
(Hor. carm. III 30.7).

Carmina enim sua iam inde ab initio magno favore frui videbat et meritorum suorum conscius fruitura esse opinabatur:

Nos quoque per totum pariter cantabimur orbem.
(am. I 3.25)
mihi fama perennis
Quaeritur: in toto semper ut orbe canar....
Ergo etiam, cum me supremus adederit ignis,
Vivam, parsque mei multa superstes erit.
(ib. 15.7 sq., 41 sq.)
Nequitiam vinosa tuam convivia narrant:
Narrant in multas compita secta vias.
(am. III 1.17 sq.) [1]

1) „En effet, on les retrouve encore souvent à Pompéi crayonnés

Quid petitur sacris, nisi tantum fama, poetis?
Hoc votum nostri summa laboris habet.
(ars am III 403 sq.)

Ore legar populi perque omnia saecula fama,
Siquid habent veri vatum praesagia, vivam.
(metam. XV 878 sq.)

Aura populi in admirandis carminibus perstabat etiam poeta exule (quamquam recenti clade animo demisso de ea re dubitationem suam expressit:

Non sunt ut quondam plena favoris erant.
[Tr. I 1.64]):

Ingenio certe non latet illa (domus) meo
Quo videar quamvis nimium iuvenaliter usus,
Grande tamen toto nomen ab orbe fero,
Turbaque doctorum Nasonem novit et audet
Non fastiditis adnumerare viris.
(Tr. II 116—120; [111—122 damn. Riese et Güthling])

Et mea sunt populo saltata poemata saepe,
Saepe oculos etiam detinuere tuos.
(ib. 519 sq.)

Nasonisque tui, quod adhuc non exulat unum,
Nomen ama.
(Tr. III 4.45 sq.)

Ante volebatis, gratique erat instar honoris,
Versibus in nostris nomina vestra legi.
(ib. 4b.67 sq.)

Vivere quam miserum est inter Bessosque Getasque
Illum, qui populi semper in ore fuit!
(Tr. IV 1.67 sq.)

ou gravés à la pointe sur les murs des maisons." Boissier Opposition p. 137 ann, qui etiam citat Senecam rhetorem (Exc. contr. III 7 pag. 253 r. 27 Kiessl.): „Hoc saeculum amatoriis non artibus tantum sed sententiis implevit."

Utque ego maiores, sic me coluere minores,
Notaque non tarde facta Thalia mea est.
Carmina cum primum populo iuvenalia legi,
Barba resecta mihi bisve semelve fuit.
Moverat ingenium totam cantata per Urbem
Nomine non vero dicta Corinna mihi....
Tu (Musa) mihi quod rarum est, vivo sublime dedisti
Nomen, ab exequiis quod dare fama solet....
Cumque ego praeponam multos mihi, non minor illis
Dicor et in toto plurimus orbe legor.
(Tr. IV 10.55—60, 121 sq., 127 sq.)

Carmina quod pleno saltari nostra theatro
Versibus et plaudi scribis, amice, meis....
Nec tamen ut lauder, vigilo curamque futuri
Nominis, utilius quod latuisset, ago.
(Tr. V 7.25 sq., 37 sq.)

Nec te nesciri patitur mea pagina: qua non
Inferius Coa Battide nomen habes.
Quicquid ages igitur, scaena spectabere magna,
Et pia non paucis testibus uxor eris.
(ex P III 1.57—60)

Audiet et caelo posita est quaecumque (tellus) sub ullo,
Transit nostra feros si modo musa Getas!
(ex P. IV 15.39 sq.)

Posteriores etiam sui memores fore neque carmina sua Augustei iudicii gratia damnaturos esse probe scit, nam „fama post cineres maior venit (ex P. IV 16.3)":

Quantumcumque tamen praeconia nostra valebunt,
Carminibus vives tempus in omne meis.
(Tr. I 6.35 sq.)

Hoc satis in titulo est. etenim maiora libelli

Et diuturna magis sunt monimenta mihi,
Quos ego confido, quamvis nocuere, daturos
Nomen et auctori tempora longa suo.
(Tr. III 3.77—80)

Quilibet hanc saevo vitam mihi finiat ense;
Me tamen exstincto fama superstes erit,
Dumque suis victrix omnem de montibus orbem
Prospiciet domitum Martia Roma, legar.
(ib. 7.49—52)

Quodque querar, notum, qua patet orbis, erit...
Nec tua te sontem tantummodo saecula norint:
Perpetuae crimen posteritatis eris.
(Tr. IV 9.20, 25 sq.)

Protinus ut moriar, non ero, terra tuus.
(ib. 10.130)

Dumque legar, pariter mecum tua fama legetur,
Nec potes in maestos omnis abire rogos....
Perpetui fructum donavi nominis idque,
Quo dare nil potui munere maius, habes.
(Tr. V 14.5 sq., 13 sq.)

Carmina iure damus raros testantia mores,
Ut tua venturi nomina, Celse, legant.
(ex P. I 9.43 sq.)

Nomine non utar, ne commendere querella,
Quaeraturque tibi carmine fama meo.
(ex P. IV 3.3 sq.)

testataque tempus in omne
Sunt tua, Vestalis, carmine facta meo.
(ib. 7.53 sq.)

Interdum modestius loquitur, ut

Te praesens mitem nosset, te serior aetas,

Scripta vetustatem si modo nostra ferunt.
(Tr. V 9.7 sq.)

Crede mihi, nostrum si non mortale futurum est
Carmen, in ore frequens posteritatis eris.
(ex P. II 6.33 sq.)

Si tamen a memori posteritate legar....
Vos etiam seri laudabunt saepe nepotes,
Claraque erit scriptis gloria vestra meis.
(ex P. III 2.30, 35 sq.)

Est aliquis nostrum si modo carmen honor.
(ib. 12.4)

attamen ultima vatis vox est altisona illa carminum suorum gloriatio: ex P. IV 16, ubi ex longa serie nominum poetarum aequalium Ovidii unum nomen nobis elucet (Cf. Ribbeck II p. 335).

Verumtamen Ovidius gloria caecus factus non est. Sciebat carmina sua Tomitana, quorum materia exilis adeo et parum varia esset, prioribus minus bona esse atque quo plura fierent, eo fieri deteriora:

Ut peragas mandata, liber, culpabere forsan
Ingeniique minor laude ferere mei.
Iudicis officium est, ut res, ita tempora rerum
Quaerere. quaesito tempore tutus eris.
(Tr. I 1.35—38)

Aequus erit scriptis, quorum cognoverit esse
Exilium tempus barbariamque locum.
(Tr. III 14 29 sq.)

Tu quoque non melius, quam sunt mea tempora, carmen,
Interdicta mihi, consule, Roma, boni!
(Tr. IV 1.105 sq.)

„At mala sunt". fateor. quis te mala sumere cogit?
Aut quis deceptum ponere sumpta vetat?
(Tr. V 1.69 sq.)

ingenium longa robigine laesum
Torpet et est multo, quam fuit ante, minus....
Carmina nulla mihi sunt scripta, aut qualia cernis,
Digna sui domini tempore, digna loco.
(Tr. V 12.21 sq., 35 sq.)

In quibus ingenium desiste requirere nostrum,
Nescius exilii ne videare mei.
(ex P. I 5.3 sq.)

Ingenioque meo, vena quod paupere manat,
Plaudis et e rivo flumina magna facis.
Grata quidem sunt haec animo suffragia nostro,
Vix sibi cum miseros posse placere putet.
(ex P. II 5.21—24)

ingenium longi minuere labores.
(ex P. III 4.11)

Ipse ego librorum video delicta meorum.
(ib. 9.7)

Nec tamen ingenium nobis respondet ut ante....
Et carmen vena pauperiore fluit....
Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit,
Qui prius in nobis esse solebat, abest.
(ex P. IV 2.15, 20, 25 sq.)

Et mea Musa potest proprio deprensa colore,
Insignis vitiis forsitan esse suis....
Nec te mirari, si sint vitiosa, decebit
Carmina, quae faciam paene poeta Getes.
(ib. 13.13 sq., 17 sq.)

Latinitatem etiam suam se dediscere contendit:

Siqua videbuntur casu non dicta Latine,
In qua scribebat, barbara terra fuit.
(Tr. III 1.17 sq.)

Saepe aliquod quaero verbum nomenque locumque,
Nec quisquam est, a quo certior esse queam.
Dicere saepe aliquid conanti — turpe fateri! —
Verba mihi desunt, dedidicique loqui.
Threïcio Scythicoque fere circumsonor ore,
Et videor Geticis scribere posse modis;
Crede mihi, timeo, ne sint inmixta Latinis
Inque meis scriptis Pontica verba legas.
(ib. 14.43—48)

Siqua meis fuerint, ut erunt, vitiosa libellis,
Excusata suo tempore, lector, habe.
(Tr. IV 1.1 sq.)

En pudet et fateor, iam desuetudine longa
Vix subeunt ipsi verba Latina mihi,
Nec dubito, quin sint et in hoc non pauca libello
Barbara: non hominis culpa sed ista loci.
(Tr. V 7.57—60)

Ipse mihi videor iam dedidicisse Latine:
Nam didici Getice Sarmaticeque loqui.
(ib. 12.57 sq.)

Si quis in hac ipsum terra posuisset Homerum,
Esset, crede mihi, factus et ille Getes.
(ex P. IV 2.21 sq.)

Quin etiam taedium se movere sentiebat:

„Quis tibi, Naso, modus lacrimosi carminis?" inquis.
(Tr. V 1.35)

Taedia consimili fieri de carmine vobis,
Quidque petam, cunctos edidicisse reor.

Nostraque quid portet, iam nostis, epistula, quamvis
  Cera sit a vinclis non labefacta suis.
(ex P. III 7.3—6)

Quod sit in his eadem sententia, Brute, libellis,
  Carmina nescio quem carpere nostra refers:
Nil nisi me terra fruar ut propiore rogare,
  Et quam sim denso cinctus ab hoste, loqui.
(ib. 9.1—4)

Quo taedio timet — nam „res timida est omnis miser (ex P. II 7.37)" – ne restinguatur amicitia:

Et pudet et metuo semperque eademque precari
  Ne subeant animo taedia iusta tuo.
Verum quid faciam? res immoderata cupido est:
  Da veniam vitio, mitis amice, meo.
Scribere saepe aliud cupiens delabor eodem:
  Ipsa locum per se littera nostra rogat.
(ex P. IV 15.29—34)

Et tamen haec eadem cum sint, non scribimus isdem,
  Unaque per plures vox mea temptat opem.
An, ne bis sensum lector reperiret eundem,
  Unus amicorum, Brute, rogandus eras?
Non fuit hoc tanti. confesso ignoscite, docti:
  Vilior est operis fama salute mea....
Cum totiens eadem dicam, vix audior ulli,
  Verbaque profectu dissimulata carent.
(ex P. III 9.41—46, 39 sq.). —

Naso fatetur aliter fieri non posse quin stultus, demens insanus aliis videatur; „nil tamen in scriptis magis excusabile (ib. 33)" et optimas causas se habere putat, cur non sileat. Intellegit enim hoc esse oblivioni se

ipsum dare, Romae praesertim, in urbe „sermonum avida", quae semper novi aliquid sibi quaerebat, prioris diei acta „mature plena relinquens". Cum autem scribit, quod Roma legat, vinculum cum patria, quod identidem in eo est ut solvatur, denuo coniungere sibi videtur (Tr. V 1.80 infra laud.). Atque praeterea in ipso studio atque labore, quibus furtim horae falluntur, medicina est quiesque malorum:

Seu stupor huic studio, sive est insania nomen,
  Omnis ab hac cura mens relevata mea est.
(Tr. I 11.11 sq.)

Si saperem, doctas odissem iure sorores,
  Numina cultori perniciosa suo.
At nunc — tanta meo comes est insania morbo —
  Saxa malum refero rursus ad ista pedem.
(Tr. II 13—16 ad Augustum)

En ego, cum caream patria vobisque domoque,
  Raptaque sint, adimi quae potuere mihi,
Ingenio tamen ipse meo comitorque fruorque:
  Caesar in hoc potuit iuris habere nihil.
(Tr. III 7.45—48 ad Perillam)

Exul eram, requiesque mihi, non fama petita est,
  Mens intenta suis ne foret usque malis....
Sed nunc quid faciam? vis me tenet ipsa sacrorum,
  Et carmen demens carmine laesus amo....
Forsitan hoc studium possit furor esse videri,
  Sed quiddam furor hic utilitatis habet.
(Tr. IV 1.3 sq., 29 sq., 37 sq.)

  Tristia, quo possum, carmine fata levo.
Quod quamvis nemo est, cuius referatur ad aures,

Sic tamen absumo decipioque diem, e. q. s.
(ib. 10.112 sqq.)

Tot mala pertulimus, quorum medicina quiesque
Nulla nisi in studio est Pieridumque mora....
Est aliquid fatale malum per verba levare....
Denique nulla mihi captatur gloria quaeque
Ingenio stimulos subdere fama solet.
Nolumus assiduis animum tabescere curis,
Quae tamen inrumpunt quoque vetantur eunt.
Cur scribam, docui; cur mittam, quaeritis, isto?
Vobiscum cupio quolibet esse modo.
(Tr. V 1.33 sq., 59,75—80)

Carminibus quaero miserarum oblivia rerum:
Praemia si studio consequar ista, sat est.
(ib. 7.67 sq. cf. 37—40, 65 sq.) —

Nil mihi debebat cum versibus amplius esse....
....si demens studium fatale retemptem....
Nec tamen ut verum fatear tibi, nostra teneri
A componendo carmine Musa potest.
(ib. 12 49, 51, 59 sq.)

In carmine ex P. I 5 vere tristi, cum poeta, qui iuvenis atque vir et delectare alios et sibi prodesse sibi visus est, senex iam factus neque delectare neque proficere se posse videt, pronuntiat se scribere desinere non posse, licet scribat „invita vixque coacta manu (vs. 10)," et insanum servare non utile studium (31 sq.. 41), nam

Quid potius faciam? non sum qui segnia ducam
Otia: mors nobis tempus habetur iners.
Nec iuvat in lucem nimio marcescere vino,
Nec tenet incertas alea blanda manus.

Cum dedimus somno, quas corpus postulat, horas,
Quo ponam vigilans tempora longa modo?
(43—48)

et

Cum bene quaesieris, quid agam: magis utile nil est
Artibus his, quae nil utilitatis habent.
Consequor ex illis casus oblivia nostri:
Hanc messem satis est si mea reddit humus.
(53—56)

A Roma enim nihil iam exspectat:

Finge legi, quodque est mirabile, finge placere:
Auctorem certe res iuvat ista nihil....
Vosque, quibus perii tunc, cum mea fama sepulta est,
Nunc quoque de nostra morte tacere reor.
(77 sq., 85 sq.)

Eadem etiam posterioribus exilii annis semper enuntiare pergit:

Namque ego, qui perii iam pridem, Maxime, vobis,
Ingenio nitor non periisse meo
(ex P. III 5.33 sq.)

Vixque mihi videor, faciam qui carmina, sanus,
Inque feris curem corrigere illa Getis!
(ib. 9.31 sq.)

Quid, nisi Pierides, solacia frigida, restant,
Non bene de nobis quae meruere deae?
(ex P. IV 2.45 sq.)

Si roget haec aliquis cur sint narrata Pedoni,
Quidve loqui certis iuverit ista modis,
„Detinui" dicam, „curas tempusque fefelli:
Hunc fructum praesens adtulit hora mihi.
Afuimus solito, dum scribimus ista, dolore,

In mediis nec nos sensimus esse Getis".
(ib. 10.65—70). —

A tenerorum lusore amorum nemo, ut opinor, postulet, ut philosophicis contemplationibus se consoletur; non tamen omnino talis rationis absunt vestigia. Eum, qui in Metamorphosesin quoque de Pythagorae doctrina — Varronem secutus [1]) — fuse disputavit, de fati ratione deque deorum arbitrio cogitasse apparet:

An dominae fati quicquid cecinere sorores,
Omne sub arbitrio desinit esse dei?
(Tr. V 3.17 sq.)

Socratem eiusque in morte constantiam non ignorat: „ille senex, dictus sapiens ab Apolline (ib. 12.11—16)", qui „imperturbato ore (Ibis 560)" poculum letale bibit. Legisse videtur Platonis Phaedonem: „ut qui Socraticum de nece legit opus (Ibis 494)". In Epistulis ex Ponto (I 3.63—84) ostendit se optime novisse nomina et historias eorum, qui philosophis exempla esse solebant summae in calamitatibus patientiae. Ex P. IV 9.41 autem ipse sententiam vere philosophicam versu expressit:

Mente tamen, quae sola loco non exulat, utar;

quam repetivit Seneca: „Animus est, qui divites facit. hic in exilia sequitur et in solitudinibus asperrimis, cum quantum satis est sustinendo corpori invenit, ipse bonis suis abundat et fruitur (ad H. m. 11.5)". Idem igitur

1) A. Schmekel de Ovidiana Pythagoreae doctrinae adumbratione Diss. Gryphisw. 1885, mihi cognita ex censura Ehwaldii in Bursians Jahresb. 43 (1885) p. 165—168.

Naso, qui poeta nequissimus et nominari volebat et nominabatur, si Gallionis (ex P. IV 11) coniuge mortua ut eius dolorem leniret animum induxisset, verba doctorum referre potuisset, id est, consolationem scribere, quales sunt Annaeanae. —

Poetam illa doctrinae ostentatio parum decebat. Seneca contra, utpote philosophus, cum primum damnatus est, quaecumque de exilio alii scripserunt, colligens, quaeque de ea re atque de similibus ipse cogitasset sedulo adiungens, recens exul ad matrem libellum misit sapiente ab omni parte dignissimum.

Verum de ipso exilio non ita multa in scriptoribus suis — sive plures sive solos Brutum et Varronem cum aliquo compendio Stoico inspexit [1]) — repperisse videtur, quae huc fere redeunt:

Prima sententia philosophica posita est in capitis quinti initio: „Unusquisque facere se beatum potest. Leve momentum in adventiciis rebus est: nec secunda sapientem evehunt nec adversa demittunt." Seneca quamquam ipsum se sapientem non esse dicit, tamen sapientibus se viris dedisse et omnia bona, quae fortuna largita sit, eo loco posuisse unde possit sine motu suo repetere contendit; itaque in his, quae mala vocantur, nihil tam terribile ac durum invenit quam opinio vulgi minabatur. Remoto igitur iudicio plurium videt exilium esse loci commutationem, quo quis patria carebit. Id autem intolerabile non esse demonstrat primo magna multitudo hominum

1) Cf. Giesecke de philosophorum veterum quae ad exilium spectant sententiis p. 101 sq.

non in patria viventium, deinde „invenio qui dicant" (sunt autem Stoici. Giesecke p. 101) inesse naturalem quandam irritationem animis commutandi sedes et transferendi domicilia, cum caelestis sit animi origo, caelestia autem omnia moveantur atque agantur. Capite septimo ad terras rursus descendens humana exempla affert, quibus thesin defendat. Capite octavo Varronis argumentum — quod quocumque venimus, eadem rerum natura utendum est — tractatur. Contemplatio enim mundi „quo nihil neque maius neque ornatius rerum natura genuit (§ 4)" animum a terrenis abducit atque ita virtuti appropinquat, quam bona externa, ut porticus caelum, abscondunt. Iam Brutum auctorem secutus virtutem remedium exilii esse exponit, sed capite decimo ad paupertatem transit, quam exilio plane neglecto ita tractat, ut in luxuriam invehatur; itaque quae sequuntur ad nostram rem nihil faciunt praeter singula quaedam de ignominia et contemptu, de quibus vide p. 82 sq.

Haec mentis condicio videbatur hominis, qui ipse matri indicarat victa fortuna (1.1) se non esse miserum, ne fieri quidem se posse miserum (4.3), quique evolvendis omnibus clarissimorum ingeniorum monumentis ad compescendos moderandosque luctus compositis tempus triverat. Sed mox haec philosophica occupatio, quae solitis administrationis bonorum suorum occupationibus succedebat, homini ad meditandum minime propenso iam non sufficiebat, ita ut longo situ obsolesceret et hebetaretur animus (ad Pol. 18.9). Sin autem

Stoicorum — quos tam saepe laudat — praecepta non in ore tantum sed etiam in pectore gessisset, aut exilium, quod otium dabat, fortuna sibi paratum putasset ut mentem coleret (talem eum finxit auctor tragoediae Octaviae [vs. 381 sqq.]:

> **Melius latebam procul ab invidiae malis**
> **Remotus inter Corsici rupes maris,**
> **Ubi liber animus et sui iuris mihi**
> **Semper vacabat studia recolenti mea.)**

aut mortem — „dolorum omnium exsolutionem et finem... magnam et aeternam pacem... optimum inventum naturae (ad Marc. 19.5, 6; 20.1)" — vitae tam miserae anteposuisset. Et ante et post exilium [1]) eos laudare solebat, qui remedio, quod in sua potestate erat, mala sanarent atque levissimas etiam causas sufficere arbitrarentur ut mortem sibi consciscerent, ut Zenoni quoque et Cleanthi et Attalo magistris visum est. Optimum illud naturae inventum cum aliis dolores ferendos leviores reddit tum (ad Marc. 20.2) „exulibus in patriam semper animum oculosque tendentibus ostendit nihil interesse, infra quod quis iaceat." Ipsi vero exilium patienti mutationem loci pro nihilo non fuisse atque aliud ac mortis remedium eum quaesivisse vidimus. Ipso iudice (vid. p. 108) maximas perpessus calamitates, multo certe graviores quam quae Stoicos ad mortem pellere solebant, mori

1) ad Marc. 19.1 etc., Geiger Selbstmord p. 18 sqq., Haase Index s.v. mors.

recusavit, immo ad humillimas preces descendit, ut vitae urbanae occupationes molestissimas sibi denuo compararet. Quod tamen non impedit, quominus ad Polybium de contemnenda morte multa disserat: „In hoc tam procelloso et in omnes tempestates exposito mari navigantibus nullus portus nisi mortis est (9.7), restituit mors in eum locum, in quo quis fuit antequam nasceretur (ib. 2), quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur (11.3), tota vita nihil aliud quam ad mortem iter est (ib. 2)." —

Cicero igitur et Ovidius, quamvis vitae cupidissimi [1]), aliorum manibus a morte retinendi fuere, laudator vero eorum, qui mortem sibi consciverant, de aemulandis exemplis ne cogitavit quidem. Senecam, cum adulescens et senex, ante et post acceptos honores, in vitae ratione sapientum praeceptis obsequi studuit, virum ipsis illis honoribus serviliter apparet fuisse obnoxium. Utrum post desperationem, cuius fructus fuit libellus ad Polybium, spem aliquam recuperarit an studiis physicis, philosophicis, poeticis longas horas fallere conatus sit an muto torpore annos egerit donec ad summa imperii vocatus est fastigia, nescimus; sed Consolationes duae, quas tamquam animi eius documenta habemus, satis superque testantur, etiam exuli Senecae „studiis quam maxime variis ac inter se oppositis vitam agitatam fuisse" (Diepenbrock p. 3).

1) „Quando vivemus?" ad Q. fr. III 1.12, Boissier Cic. p. 13; „Me nunc denique natum gratulor" a. a. III 121 sq.

THESES.

I.

Cic. Lael. 17.62:

(Scipio) querebatur .... homines .... in amicis eligendis neglegentes esse nec habere quasi signa quaedam et notas, quibus eos, qui ad amicitiam essent idonei, iudicarent.

Deleatur eos ante qui ad.

II.

Liv. 24, 39.6:

Inde passim discurritur et urbis captae modo fugaque et caedes omnia tenet, nihilo remissiore militum ira, quod turbam inermem caedebant, quam si periculum par et ardor certaminis eos inritaret.

Pro quod corrigendum est qua.

III.

Liv. 26, 9.6, ubi alii aliter emendant, legendum esse conicio:

Romam Fregellanus nuntius diem noctemque itinere continuato ingentem attulit terrorem; tumultuosiorem quam allatus erat concursus hominum adfingentium vana auditis tota urbe concitat.

IV.

Liv. 27, 27.3:

Numidis speculator, nequaquam in spem tantae rei positus, sed si quos vagos pabuli aut lignorum causa longius a castris progressos possent excipere, signum dat, ut pariter ab suis quisque latebris exorerentur.

Pro positus restituatur positis.

V.

Tac. Ann. XIV 35:

Boudicca curru filias prae se vehens, ut quamque nationem accesserat, solitum quidem Britannis feminarum ductu bellare testabatur; sed tunc non ut tantis maioribus ortam regnum et opes, verum ut unam e vulgo libertatem amissam, confectum verberibus corpus, contrectatam filiarum pudicitiam ulcisci.

Pro sed lege sed se.

VI.

Terent. Heaut. I 1.82 pro

quid istúc malist?

legendum est:

quid istúc, malum, est?

VII.

ib. vs. 297 sq.:

Scin, hánc quam dicit sórdidatam et hórridam,
Magnum hóc quoque signumst, dóminam esse extra
[nóxiam.

Legatur: hanc quom dicit (quom = quod).

VIII.

ib. vs. 1060 sq.:

SOSTRATA: Gnáte mi ego pol tibi dabo illam lépidam,
[quam tu fácile ames,
Filiam Phanócratae nostri.

Verba, quae sequuntur post „Gnáte mi" CHREMETI attribuenda sunt.

IX.

Ovid. Heroid. VII 75:

Nec mihi tu curae.

Scribendum esse puto:

Nec tu me cures.

X.

Ovid. Tr. IV 9.13:

Et patriam, modo sit sospes, speramus ab illo.

Pro sit legendum esse censeo: sim.

XI.

Ovid. ex P. I 5.21 sq.:

Torquet enim fortuna parum, nisi Lissus in Hebrum
Confluat, et frondes Alpibus addat Atho?

Pro frondes legendum est fontes.

XII.

ib. II 2.17 sq.:

Nil nisi non sapiens possum timidusque vocari:
Haec duo sunt a n i m i nomina vera mei.

Pro a n i m i legendum est a u s i.

XIII.

Iuven. V 37—39 (ed. W e i d n e r[2]):

ipse capaces
Heliadum crustas et inaequale s berull o s
Virro tenet tenet phial a.

Legendum esse puto:.. capaci s... inaequali s berull o... phial a e.

XIV.

Iuvenalis satirae magna ex parte ab ipso poeta editae non sunt.

XV.

Fragmentum Iuvenalianum a. 1899 Oxonii repertum genuinum est.

XVI.

Xenoph. conv. I 11:

διά [τε] τὸ φέρειν μηδὲν [καὶ διὰ τὸ ἀνάριστον εἶναι].

Verba inclusa expungenda sunt.

XVII.

ib. II 4:

ἐλαίου δὲ τοῦ ἐν γυμνασίοις ὀσμὴ καὶ παροῦσα ἡδίων ἢ μύρου γυναιξὶ καὶ ἀποῦσα ποθεινοτέρα.

Post ὀσμὴ inserendum ἀνδράσι. Cf. Athen. Deipnosoph. p. 686 E.

XVIII.

ib. II 22:

ὅτι δ' ἡ παῖς εἰς τοὔπισθεν καμπτομένη τροχοὺς ἐμιμεῖτο, ἐκεῖνος ταὐτὰ ταῦτα εἰς τὸ ἔμπροσθεν ἐπικύπτων μιμεῖσθαι [τροχοὺς] ἐπειρᾶτο.

Dele τροχοὺς cum B o r n e m a n n o et M e h l e r o.

XIX.

ib. II 27 ante θᾶττον lacuna statuenda est hoc fere modo supplenda: πρῶτον μὲν βραδέως ἔπειτα δέ.

XX.

Lucian. Tox. 35 (II p. 544 Reitz):

Lege: καταβὰς ἀπὸ τοῦ λ ο γ ε ί ο υ (pro ἀπὸ τοῦ λόγου).

XXI.

Lucian. Gall. 2 (II p. 704—5):

ἕστηκεν (ὁ τοῦ Ἀχιλλέως ἵππος) ἐν μέσῳ τῷ πολέμῳ διαλεγόμενος, ἔπη ὅλα ῥαψῳδῶν, οὐχ ὥσπερ ἐγὼ νῦν, ἄνευ τῶν μέτρων, ἀλλὰ καὶ ἐμαντεύετο.

Transponendum διαλεγόμενος post ἄνευ τῶν μέτρων.

XXII.

In Soph. Trach. 94—97:

ὃν αἰόλα νὺξ ἐναριζομένα
τίκτει κατευνάζει τε φλογιζόμενον,
Ἅλιον Ἅλιον αἰτῶ
τοῦτο καρῦξαι . . . .

moet niets veranderd worden.

XXIII.

Theocrit. I 136:

Κὴξ ὀρέων τοὶ σκῶπες ἀηδόσι γαρύσαιντο.

Legendum est cum Hartungio: *Κὴξ ὀρόφων*.

XXIV.

Nero heeft Rome ongetwijfeld niet in brand gestoken.

XXV.

De „Kristen"-vervolging onder Nero bedoelde Joden, niet Kristenen.

XXVI.

Het is zeer te betreuren, dat de Griekse wijsgeren vóór Aristoteles zo veel aan bespiegeling, zo weinig aan feiten-onderzoek hebben gedaan.

XXVII.

Voor de klassieke filoloog is enige kennis van sterrekunde onmisbaar.